

DE PERCEPTIONE SPATII PER VISUM

In qualibet cognitione duplex sponte distinguitur sive formalitatum sive elementorum caput: quod vitalis actuatio est, et quod similitudo quaedam seu repraesentatio est. Porro, inquantum vitalis quaedam operatio est, impraesentiarum a nobis directe ac per se non attingitur; inquantum vero similitudo ac repraesentatio est, profecto hac nostra lucubratione versabitur, ita tamen, ut nec de omnibus ac singulis eius elementis, sed de solo spatio percepto, nec de omni cognitionum genere (intellectivo, sensibili) aut specie (visibili, audibili, tactili, . . .), sed de ea sola quae per visum est, agamus.

Integralm disputationem quinque sectionibus absolvere visum fuit; ita nempe ut 1.^o quae preambulae sunt notiones exponerentur, et quaestio sub propriis terminis definiretur; 2.^o nobiliorum auctorum qui aliquo modo, etiam indirecte, quaestiones, sive hanc nostram sive quae cum ea intime coniectuntur, tractarunt, sententiae critice expenderentur et historice; 3.^o universae quae prolatae sunt, aut saltem digniores opiniones logice distribuerentur; 4.^o tandem refutarentur falsae aut improbables et proponerentur probabiliores circa extensionem primum, deinde circa tertiam dimensionem. Harum vero quinque sectionum alteram omittere maluimus quippe quam perfectissimam et absolutam desideramus, nec adhuc potuimus, quaecumque investigavimus, paucis adeo perstringere. Quae autem praecipua sunt, ea suis locis indicantur.

I

INTRODUCTIO GENERALIS

1. *Facta circa quae.* — Experientia cottidiana (forte, quamvis interna, mediata) et inductione constanti unicuique certissimum est ac definitum (si normalis adultus sit) in multis perceptionibus nostris attribuere nos id quod percipimus certae eidam realitati, certa quadam extensione donatae atque in determinata distantia positae. Sic qui scribo, albedinem perceptam tribuo rea-

litati cuidam sc. papyro quattuor rectis limitibus circumscrip^tae et a me distanti. Sic qui legitis, litteras perceptas tribuitis libro extenso et a vobis seiuncto.

Consilio adhibitum est verbum *perceptionio*; cum in hoc omnes convenire debeamus et praeterea sub eo legitime audiatur etiam somniatio, imaginatio, etc.; in quibus, *dum in eis sum*, idem omnino mihi contingit quod et in aliis perceptionibus.

2. *Indigent explicatione*. — Praemittimus facta innegabilia et evidentissima *quoad an sint*. Vulgus ea novit, iis utitur apud omnes omnino gentes non sine successu; idque ipsi sufficiens est ad vitam et vitae utilia procuranda. Sed philosopho vere tali, facere satis nequit mera factorum exsistentium, ut exsistentium, affirmatio. Inde mens philosopha quaerit, iuxta munus suum, facta rationabiliter explicare; eorum essentiam et formalem rationem, quantum liceat, penetrare; scilicet facta cognoscere etiam *quoad quid sint*.

Multi sunt (aut certe iuerunt), qui, confundentes evidentiam factorum *quoad an sint* cum simplicissima eorundem et obvia explicatione vulgi, quod amat explicare affirmationibus non probationibus (quo fit ut potius divinet) easque identificantes, renuunt omnem disquisitionem et conatum ad rationabilius explicandum *tò quid sunt* putantes (et quidem merito, posita illa confusione) pessum dari ipsam factorum exsistentiam.

Verum nimis errant. Mens vere philosopha admittere nequit illas factorum rotundas affirmations, quae passim venundabantur, ut explications ipsorum; ideo illas renuit quin renuat ipsa facta sed tentando sine circulo explicare. Facta eadem in se manebunt eademque nobis manifestabuntur quaecumque explicatio detur, certe dum *explicatio* sit et non factorum e medio sublatio; ut solent quidam facere, qui rationalistica superbia imbuti, id e medio tollent quod explicare nesciunt. Sed haec a vero philosopho non solum a catholicis, repellit omnino debent, utpote cum omnibus sanae mentis hominibus curae esse debeat iura t^{ri}teri legitima rationis humanae.

3. *Praesens quaestio*. — Volumus vestigare, ut nunc in genere loquar, *unde et quo pacto* gignatur in nobis id quod in omni perceptione facimus inter alia: nempe attribuere *proprietates* quasdam *ceriae* realitati in *certa* distantiae mensura positae et *certa* extensione donatae. Ex his praecipue sumemus *distantiam* et *extensionem* in hac parte praesentis quaestionis, cum alibi agendum sit de *essentia* illius *certae* realitatis et de *inexistentia* et *essentia* aliarum proprietatum. Distantia et extensio sunt utique proprietates illius realitatis, secundum communem sensum; sed hic non agimus de *inexistentia* ipsarum in illa realitate, nec de earum *essentia* prout independenter a nobis existunt, sed tantum de modo quo nos cognoscere possumus; sumendo *tò* cognoscere in sensu latiori et non praecise intellectuali.

4. *Duplex methodus investigationis*. — Dupli praesertim modo tractatio incipi potest, radicitus differenti; et ut nobis videtur, utraque methodus

veritatem continet, sed quae facile exaggerari sic potest ut pessima uniuscuiusque fiant vitia et prorsus insanabilia.

Prima methodus assumit ut principium, quod subiectum cognoscens nihil fingit a se ipso, sed ab extrinseco cognoscendo desumit omnia utpote quae iam exstant, ita ut eius labor non sit nisi in *adaequatione* subiecti ad rem. Cognitio non est nisi *coaequatio, convenientia, accommodatio* subiecti ad rem; h. e. (ut hispane dicam) una *igualdad*. Is qui percipit, recipit ab extrinseco influente id quod percipit non quidem per assimilationem quamdam physicam (licet influxus sit physicus — species impressa secundum hypothesis scholasticorum non improbabilem) sed intentionalem h. e. instrumentalem alterius ordinis (cognoscitivi) nec aliter definibilem.

5. *Fons errorum in prima hac methodo.* — In his qui investigationem incipiunt supponendo *ut factum actionem* τοῦ extra-Ego supra τὸ Ego, fons errorum est in hoc quod *actioni actuali plura* tribuunt quam de se potest dare Quod quidem pronum est. Ponamus exemplum, v. gr. in visione.

Aperio oculum et statim percipio *certum* colorem quem ipsa perceptione tribuo *certae* rei in *certa* distantia positae, immo et *certa* extensione et *certis* proprietatibus donatae, ut non semel in decursu monui. Admittendum est ut factum quod *haec perceptio* mihi imponitur praeter meam voluntatem, quod *pendet* ab *actione actuali* τοῦ extra-Ego supra τὸ Ego. Sed qua dependentia? dicendum est totum id quod percipio dari actu ab extrinseco? Quoniam tanta facilitate nunc a me haec perceptio habetur, facile actioni extrinsecae actuali attribuo totum id quod percipio tamquam per se et immediate danti, quin animadvertere vel suspicari possim forte actuale datum immediatum actionis τοῦ extra-Ego supra τὸ Ego limitari admodum, et non esse nisi *partem* cuiusdam conglomerationis datorum associationis legibus adquisitae, quae pars ob suum cum aliis nexus excitet caeteras intus existentes.

6. *Alter modus incipiendi inquisitionem.* — Patet exinde quam facile et pronum sit in prima methodo, errores incurrere maximos tribuendo *actioni seu influxui actuali* plura quam quae reapse dare potest et dat. Hoc cuivis apparebit in allato exemplo visionis. Ibi enim oculus solum dare potest colorum, ut videbimus, in duas directiones *diffusum*; et tamen nos multa alia ibi percipimus et tribuimus *certae* (determinatae) realitati. Iam haec alia undenam percipienda mihi *imponuntur*, cum actu ab extrinseco non sint?

Inde facile eruitur in me *praeexistere* haec alia, quae associata percipio cum *datis* *actualis* visionis. Quod verissimum est. Sed ex eo fit ut existimetur haec alia elementa perceptionis non actu data ab extrinseco, posse, *independenter* ab *actione extrinseci mundi*, in se examinari, analyzari, explicari. Ita incipitur *investigatio* *quaerendo* quid *praesupponatur* in cognoscente ante *impressionem mundi externi*, ita ut non attendatur ad ea quae influxus eiusmodi forte possit dare. Scilicet a priori privantur facultate examinandi aliquem,

saltem probabilem, et (fere certo) possibilem, fontem harum, quas in nobis habemus, repraesentationum.

Tandem isti distinguunt in unaquaque perceptione materiam et formam. Omittunt id quod *existimant materiam*, et agunt tantum de eo quod ipsis placuit — a priori — pro forma habere. Illi totum per modum unius considerabant; isti, stabilita a priori divisione elementorum perceptionem integrantium in materialia et formalia, objectiva et subjectiva, τοῦ Ego et τοῦ non-Ego vel potius in procedentia ab activitate τοῦ Ego et ab activitate τοῦ non-Ego, assumunt sibi examinancum tantum illud quod ab Ego procedere praedefiniverunt.

7. *Fons errorum in hac methodo.* — Cum evidens ferme sit quaedam utique nobis imponi et non venire ab extrinseco (saltem prout in hac determinata perceptione mihi apparent), ac proinde praesupponi ad *actuale* datum mundi externi, facillime, si praescinditur ab influxu extrinseco, plura elementa habentur ut praesupposita et praeexistentia ante actualem influxum extrinsecum quam quae de facto et reapse praesupponuntur; immo, quod longe peius est, facillime habentur non modo ut praesupposita ad *hunc* influxum particularem sed ad *omnem* influxum mundi externi; vel generalius loquendo, ad omnem influxum τοῦ extra-Ego; qui quidem influxus per totam disquisitionem: neglectus et problematicus, in fine huius analysis vel habetur ut X incognoscibile (prout est in se), vel abnuitur ut inexplicabile, vel sola fide tenetur, seu *creditur*, ad explicandum initium activitatis τοῦ Ego, cuius activitatis effectus est id quod unice evadit cognoscibile, cum in se sit cognoscibilitas ipsa. Etenim cognoscere non consistit in conformando nosmetipsos rebus, sed in informando res formis intus praeexistentibus; res, inquam, quae in se sunt purum et aeternum X; earum autem apparens cognoscibilitas, non est ipsarum, sed formarum praeexistentium in nobis, quae tunc fiunt cognoscibles quando mutuo *condicionantur*, *combinantur*, *limitantur*, *concretantur* (ex spatio et tempore, quantitate, qualitate, causalitate, relatione, etc., etc.). quarum concretionis *determinatio* vel *suscitatio* IN PERCEPTIONE SENSIBILI FORTE tandem pendet ab influxu chaotico τοῦ X.

Sed notandum est hanc methodum sistere se in hac affirmatione: spatiū, tempus, quantitas, qualitas, etc., etc., sunt *formae a priori*, praecedentes in me actualem extrinsecum influxum. Sed ubinam in ea datur vel saltem intentatur explicatio seria ORIGINIS harum formarum? Haec quaestio est re vera urgentissima, etiam transmittendo quod formae reapse istae praecedant influxum actualem, qui iuxta hos nequit explicare ipsam cognitionem. Cur non possunt hae formae oriri ex aliis aliorum sensuum influxibus? Radix praeterea falsitatis in hac methodo stat in eo quod illi qui possunt de his quaestionibus philosophare (homines normales) habent iam ideas factas, et ideo non tam facile sciunt videre se in suis speculationibus, nisi cauti summe

sint, adhibere tamquam irreductibilia et interna, elementa quae nullo modo talia possunt esse; cum multa saltem adquisita ab ipsis fuerint. Proinde non debent probare per actuales tantum conceptiones, sed potius examinare infantulos et animalia recens nata, quo ordine et quanta celeritate acquirant facultatem utendi perceptionibus quae implicent aliquomodo extensionem vel, ut patet, aliquid quod involvat eam.

8. *Pars veritatis primae methodi.* — Admittendum est sine dubio principium illud (4) sed maiori amplitudine intellectum; et ut monuimus (5), examinando accuratius quid possit reapse dare per unumquemque sensum influxus extrinseci mundi, seu quae sit adaequatio nostra ad rei influxum in unoquoque sensu singillatim sumpto et deinde in combinatione horum omnium datorum. Ita, quando aperiendo oculum et respiciendo determinatam rem, percipio eam coloratam, voluminosam, distantern, extensam, duram, substantiam, etc., (HAEC enim et multa alia PERCIPIO in his casibus). examinare accurate debo QUID det nunc solus oculus, QUID possit dare; et cetera elementa perceptionis diligentius perscrutare unde potuerint mihi provenire. In quo concedendum est kantianis quod multa elementa perceptionis iam preeexistebant; sed non in hac concessione sistendum est, verum ulterius investiganda origo illorum elementorum, comparando inter se alios sensus; comparando hominem cum brutis, etc.

9. *Pars veritatis alterius methodi.* — Iam ex dictis patet. Nempe, certum videtur quod *actualis* influxus sensualis non potest praebere SE SOLO hic et nunc menti (ANIMAE sc.) TOT notitias quot de facto *percipit*; unde cetera elementa explicanda sunt pro priori ad actualem influxum. Identicus iste influxus (quo in me influit actu mundus quando oculum aperio et percipio librum in certa distantia, certi coloris, certae magnitudinis, etc.), si haberetur nunc (ceteris omnibus praeter experientiam paribus) ab aliquo qui non *praehaberet* elementa quae ipse (influxus) nequit dare de se, numquid praesentaretur eius menti (animae sc.) eodem prorsus pacto quo mihi praesentatur?

10. *Methodus quam sequemur.* — Experientiam putamus omnino esse adhibendam; experientiam plene intellectam secundum sensum communem. Omnes existimamus non posse dici experientiam nisi observationem *quae versetur circa ALIUD omnino ab ea distinctum et INDEPENDENS IN ESSE* (excepta, ut per se patet, experientia interna — intellige immediatam — de qua tenemus cum sana philosophia posse esse circa se ipsam tam exercite quam signate; ut probatur omnino independenter ab hac et aliis huiusmodi quaestionibus). Iam, si audimus secundam methodum, evidens est in ea penitus falsificari hanc notionem experientiae; etenim ibi nihil est distinctum et *independens* ab ipso cognoscente, nisi hoc sensu quatenus non possumus instituere alio pacto experientiam quia haec est necessitas naturae nos-

trae ut per formas sibi insitas obiecta reddat experimentabilia; quasi dicemus: "est independens, h. e. nequit alio modo fieri, necessitate non rei (influentis ita et non aliter) sed subiecti necessario hoc modo cognoscéntis". Et reapse kantiani *independentiam rōj experimentabilis* ac proinde eius *universitatem* repetunt ab ipsa natura subiecti.

Deinde iste conceptus etiam falsificatur facillime ab illis qui sequuntur primam methodum: cum enim omnia elementa perceptionis *videantur imponi* nobis seu esse *independentia* a nostra observatione, confunditur facile *independentia in SUSCITATIONE*, (quae utique semper — aut fere — adest) cum *independentia in ESSE*, (quae non adest); h. e. ex eo quod *actualis* influxus extrinsecus *suscitet* in nobis *independenter a nobis* (h. e. ob leges associationis necessarias — necessarias, utpote physicas) cetera elementa intus praeeexistēntia, non habetur *independentia absoluta a nobis*, etenim *inxistebant ANTE* influxum actualem in nobis ac proinde *non imponuntur omnino independenter a nobis*; (si non praeexisserent, non associarentur).

Igitur solum potest dici vere experientia: "*observatio quae versetur circa elementum perceptionis omnino independens a nobis in ESSE* (quamvis pendeat in *cognosci*)". Hoc est quaerendum in singulis specificē diversis perceptionibus sensitivis, et deinde in complexū; ut reperiamus quaenam habeant dependentiam aut vicissim independentiam in esse ab influxibus tam extrinsecis quam intrinsecis — intellige ipsius subiecti — (non praecise actualibus, ut per se patet et iam alibi monuimus). Nunc itaque hoc nobis praestandum est respectu elementorum dimensivorum, quae de facto a nobis percipi evidens est ut supra (1) indicavimus.

11. *Utraque methodus tandem subiectiva.* — Fere manet in praecedentibus demonstratum. Sed nunc *quoad alteram*: satis liquet experientiam fieri omnino *dependentem in esse* ab ipsomet subiecto. *Quoad primam*: tandem, quamvis dicatur experientia versari circa aliud independens a nobis, iudicium de dependentia vel non dependentia desumitur ex hoc quod *EXPERIAR mihi imponi, non pendere a me*, sed haec experientia nimis evidenter appetit ostendere *tantum independentiam a nobis in suscitari, non in esse*. Utique interna experientia de qua nunc loquimur, certissime probat omnia illa mihi imponi ab extraneo aliquo *determinante* eorum in animo *suscitationem* (ac proinde aliquod saltem elementum perceptionis *nunc* ab extrinseco dari), sed non probat *omnia dari nunc* ab aliquo extraneo determinante eorum *esse* (h. e. non probat quod dentur ab extrinseco tota quanta vel etiam talia qualia nunc percipio). Immo quaedam sunt quae nullo modo possunt esse data ab extrinseco influxu actuali.

12. *Cur nostra methodus talis non sit.* — Utique nos tandem fundamur ut asseramus influxum extrinsecum existere et in nos influere seu quod idem est, nobis dare aliiquid factum iam et independens a nobis, cui facultas

perceptiva percipiendo adaequetur et non invicem, ducti testimonio conscientiae; et ob id ipsum affirmamus istum influxus effectum posse examinari, et in eo cognosci quid det. Sed notandum iam est *utramque affirmationis partem certitudine constare nobis metaphysica*. Nam, sicut rō Ego cognoscitur metaphysica evidentia ex conscientia ipsa immediata (et exercita et signata, et implicita et explicita) actuationis propriae (activitatis saltem internae), ita exsistentia activa rō extra-Ego (quidquid in se sit) IMMEDIATE testatur conscientia EX SUA PASSIVITATE (transcendentali si vis, nam est mihi tanti praesenti quaestione incipienda tuto pede).

Ideo non desunt philosophi qui rotundis asserant verbis (v. gr. Bonilla y San Martín in conferentiis quas heic Barcinone dedit abhinc octo annos, sc. 1918) quod si admittitur probari exsistentia rō Ego, eadem probatione fere habemus probatam exsistentiam rō non-Ego; propterea multorum philosophorum modernorum conatus nunc iam in hoc tendunt ut subvertant ipsum Ego.

Ceterum, ut deinde demonstrabitur, passivitas rō Ego fundare potest (saltem, ut patet, in homine) tendentiam projectionis causarum sensationum nostrarum, extra nos.

13. *Sensatio, perceptio*. — Oportet bene distinguere utriusque conceptum; in hac enim distinctione fundabitur inquisitio nostra, eaque uteatur ad separandas opiniones. Utile erit legere AA. aliquos qui de his agant, v. gr. VAISSIÈRE (ad n. 37); W. JAMES (*Précis ch. XX; Principles ch. XVII, XIX*) optime quidem, eumque vix non omnino sequimur in modo intelligendi eam divisionem; WUNDT (*Psychologie physiologique* trad. franc.); praesertim initio sectionis quam cedat sensationibus; qui quidem adhibet terminologiam diversam; sed praecipue — nostro iudicio — legendus est R. TURRÓ qui in suo quodam libello "*Filosofia Crítica*" egregie — quibusdam exceptis — loquitur de hac tota materia; de sensatione et perceptione praesertim in *līçons IV et V* passim.

In genere dicendum nunc: Facta distinctione inter *elementa actu* et *immediate data et imposita* ab extrinseco, et *elementa actu data* (nunc associata et imposta tantum quoad excitationem) sed *praeexistens* in subiecto percipiente; haec ad perceptionem, illa ad sensationem referemus; elementa actu ab extrinseco imposta et ab extrinseco provenientia — sc. dependentia ab extrinseco influente tam quoad suscitationem quam quoad esse; (quia non perciperem nisi ab extrinseco tota venirent) — sunt *veluti materia* percipientia; cetera, *veluti forma* percipiendi ita, (sc. forma condicionans).

In unaquaque perceptione sensibili *aliquid* (saltem rō quale causaliter) mihi *imponitur immediate* (quod consideratur ut *materia*). Iam haec quasi *materia intime colligata cum aliis imaginibus* (vel quidquid sint) et *veluti*

ab his informata, percipitur. Materia illa sic informata est *objecum actualis perceptionis meae et observationis.*

Ubi iam patet observationem *internam* utpote quae necessario terminetur ad *hoc objecum ITA praesentatum*, non posse *solam nobis inservire ad solvendam quaestionem*. Etenim perceptionis omnis *objecum actu praesens conscientiae et inspectum ab intra*, (h. e. mirat des de dintre de nosaltres) non potest non apparere ut *unum, compactum, indiscernibile, nobis impositum totaliter independenter a nobis*; quae *omnia falsa esse utique demonstrari potest* alii viis, mixtis ex *observatione interna et externa*.

14. *Discernuntur utriusque elementa* examinando (ut sic dicam) *ab extra* (et *impartialiter!*) processus physicos, chimicos, physiologicos impressionis organicae actualis mundi externi, et videndo quid in his processibus (per quos anima sentit) reperiatur ex his, quae in phaenomeno perceptionis *ab intra inspecto inveniuntur*, et hoc erit *materia actu data a mundo externo*, et quidem *immediate data*. Iam quod restat quodque veluti forma est, examinandum diligentius est quid, unde, quo modo et quo tempore sit factum; non statim cavillationibus indulgendo, et pure ab intra procedendo.

15. *Doctrina quaedam scholasticorum affinis*, ea est quae sensibilia distinguit tres in classes: sc. in sensibilia propria, communia et per accidens. *Propria* dicuntur quae per se primo sentiuntur; h. e. quae ab uno tantum sensu sentiri possunt (exempla adducuntur qualitates primariae: *color, sonitus, odor, etc.*); *communia* quae per se quidem sed non primo sentiuntur; h. e. quae a pluribus sensibus sentiri possunt (exempla adducuntur *motus, quies, numerus, figura et magnitudo*); *per accidens* quae per se non movent sensum, sed coniuncta sunt cum eo quod sentitur (exempla: si quis dicat se *videre dulce*, videt enim per se album extensem cui adiungitur dulcedo). Legantur AA. scholae v. gr. URRÁBURU, opere fusiore, t. V, p. 540 sqq.

Duo reprehendenda sunt in hac distinctione et quidem fundamentalia. Verbum "sensibile" recte non adhiberi potest ad designandum "id quod non movet sensum" hic et nunc; videtur enim quasi praeiudicare quaestionem possibilem. Praeterea non satis accurata dicenda est distinctio in tres illas classes; incidit enim non parum in primam methodum eiusque errores (I, 5). Nonnulla ex his quae inter sensibilia simpliciter numerantur forte post exquisitiores investigationes et analysis consideranda erunt ut pure *percepta*.

16. Porro inquisitio, quam instituimus de distantia et extensione, ad haec duo revolvitur capita: utrum sc. sentiantur an percipientur tantummodo: et post huius quaestionis solutionem, prout fuerit, quomodo percipientur, unde sc. in nobis exsistat earum imago.

17. *Extensio, distantia*. Extensionem (diffusionem, elementum diffusum, etc.) dicimus videri seu adesse in visione in quantum colores omnes in unico videmus piano, parallelo sc. retinæ; distantiam (profunditatem, ter-

tiam dimensionem, elementum sagittale, etc.) in quantum colores in diversis videmus planis. — Quaestio institui potest separatim, ut ex ipsa expositione patescat.

18. *Localizatio*. — Antequam ad unamquamque partem discutiendam descendamus, oportet haec etiam breviter animadvertere.

Planum est nostra quaestione resolvi etiam illam, quae nomine tenuis differt, sc. de localizatione. Problema eo modo quo a nobis tractatur, videtur agere solum de elemento *quantitativo* spatiali; *localizatio* autem videtur et aliud elementum in se includere, sc. *fixationem* in spatio. Per se vero patet quod talis fixatio non est nisi accuratior et distinctior perceptio elementorum diffusivi et profundi seu resultatus multarum experientiarum, postquam sc. elementa alia multa associata iam sunt. Si enim bene consideras, videbis profecto localizationem prout importat istud elementum fixitatis (sc. facilitatis ad fixandam positionem obiectorum in spatio), nihil aliud esse quam elementa diffusiva et profunda secundum sc. coordinationem eorundem in spatio. — Verum haec post discussionem clarescent, ut existimo.

19. *Subiectivatio, obiectivatio*. — Localizatio vel est *obiecti* percepti a nostro corpore distincti, vel est *corporis proprii, ut proprii*, apprehensi. Haec *subiectivatio*, illa *obiectivatio* appellari consuevit.

Subiectivatio et obiectivatio intime inter se colligantur, ut vix alia sine alia esse seu percipi possit, praesertim obiectivatio. Etenim obiectum qui possumus a nobis distinguere, nisi prius supponatur, saltem natura, proprii corporis imago et proinde quarundam impressionum subiectivatio?

Alio etiam modo dicitur obiectivatio et subiectivatio, nempe: in quantum (et hoc est factum in homine innegabile) quasdam impressiones invincibiliter nobismetipsis attribuimus ut proprias, quasdam vero invincibiliter ut extra-neas. Et nisi fallimur frequentissimi sunt moderni physiologi et psychologi, qui confundunt utrumque modum accipendi hos terminos; et ideo non satis attendunt ad vim argumenti scholastici in favorem qualitatum a parte rei. Sed de his suo loco.

Iam, ingrediamur in distributionem sententiarum et deinde in ipsam quaestionis resolutionem per partes indicatas.

II

SENTENTIAE LOGICE DISTRIBUTAE

De elemento extensivo

1. *Ratio huius partis*, haec est: sc. ne in singulis thesibus secuturis debeamus unumquemque Auctorem nominatim persecuti, ideo nos nunc *posteaquam* (1) secundum tempora divisimus AA., eosdem secundum obiectivas sententias volumus distribuere, quin quidquam a priori determininemus quocum concordare debeat de facto verae Auctorum sententiae.

2. *Generalissima divisio*. — Distinctio nuper probata (n. 13 primae partis) inter data immediata et mediata mundi externi in actualem perceptionem, praebet nobis optimum modum dividendi generalissime sententias. Non tamen putamus hanc nostram divisionem perfectam et absolutam; heic vero illam apponimus tamquam basim futuri ac magis definitivi laboris.

3. *Primum agmen*. — Primum agmen integrabunt quicumque teneant elementum diffusivum, quo percipimus quale visivum, ACTU seu *immediate* et quidem *adaequate*, dari ab extrinseco influxu sensationis: h. e. elementum diffusivum *sentiri*.

4. *Secundum*. — Secundum vero locum obtinent illi, qui, ex diametro oppositi, teneant el. dif. ACTU seu *immediate* vel **NULLO MODO** dari ab extrinseco, vel saltem *non sub eius formalitate*, sed ad summum *fundamentaliter*, ut sic dicam, aut etiam *materialiter* (sc. quasi mundus externus in actualem perceptionem influeret *per aliquid TRANSFORMABILE, ELABORABILE*; fere sicut accidit in colore ipso, iuxta illam sententiam quae eum ponit in actu ipso reactionis-sensationis).

5. *Tertium*. — Tertii vero sint qui, medianam viam ingressi, defendant el. dif. *adaequate* quidem ab extrinseco (h. e. *totum* ab extrinseco, *mediate* vel *immediate*), *non autem adaequate actu (immediate)*, sed *partim praeadquisitum sit*, et intus praeeexistat sive imagine sive alio pacto possibili (h. e. procedat *mediate* ab extrinseco).

6. *Sensationismus rigidus*. — Illa est sententia quae n. 3 indicata manet. Breviter in hoc stat, quod el. dif. asserat **TOTUM ACTU sub hac formal ratione diffusivi SENTIRI**. Quod bifariam maxime teneri potest: a) ita ut oculis **PURE VISIVIS** (carente homine omni alio sensu) ipsa sola actuali im-

(1) Sc. post alteram nostrae lucubrationis omissam partem.

pressione retinica diffusio sentiatur, b) vel ita ut *sensatio* externi tribuatur (ex parte saltem) aliis sensibus *comitantibus* visum.

7. a) In hac sententia, diffusio immediate sentitur pure videndo. Sed haec sententia debet explicare satisfactorie difficultates, quas deinde exponeamus ubi de elemento diffusivo; praesertim vero difficultatem circa perceptionem continui. Id varie praestabunt;

a') Alii repetent factum continuitatis innegabilis ex ipsomet facto sentiendi per nervos. Etenim, inquiet, si verum est, prout communiter tenetur, animam solum ostendere suam sentiendi facultatem *quatenus informat nervos*; cum solum sentiant nervi *prout impressionem accipiunt*, necessario sequitur systema nerveum animatum sentire impressione totali *per modum unius*, ita ut ex hoc ipso discontinuitas imaginis non notetur; nam necessario nec anima nec nervi capere possunt *distincte* limites partis sentientis. Quod etiam exemplo dicto illustrare possumus. Fingamus cubiculum quoddam multis illuminatum fenestris, quarum omnes, quae in uno pariete laterali sunt v. gr., respiciant *idem* prorsus panorama, campos montesque. Hucusque nulla est difficultas. Verum ponamus *unam eamdemque* personam **SIMUL** in omnibus et singulis fenestris positam respicere *idem* panorama. Videbit ne *continuum* an *discontinuum*? Continuum, inquires. At vero, fenestrae discontinuantur! Esto; sed *una eamdemque* persona per singulas et omnes *simil idem* respicit. A pari.

8. b') Alii radicalius procedentes negabunt id quod nobis videtur continuum, esse aliud quam summam et imperceptibilem contiguitatem; sicut in obiectis ipsis non datur continuum verum. Quod quidem mirum videri non debet. Etenim, si *medio* (nervis retinicis) asseritur a quibusdam nos sentire *continuum discontinuo*, erit ne magis mirum medio imperceptibiliter discontinuo, imperceptibiliter discontinuum sentire?

9. c') Alii contendunt ideo apparere colores continuatae diffusos, quia ita fert ipsissima animi reactio sentientis per impressionem; fere sicut tenent quidam colores non esse nisi *modos* reagendi ad stimulus externos distinctos, sic continuum coloratum non est nisi ipse *modus* reagendi animae ad praesentiam impressionis quantumvis discontinuae: in qua reactione formaliter stat sensatio; ergo sentiri dicenda est continuitas. Quae quidem explicatio sic potest suaderi. Cum in omni sensatione triplex saltem processus detur (physico-chemicus, physiologicus, psychicus), quoniam duo primi evidentissime discontinui demonstrantur, non restat ad explicandum factum innegabile continuatatis, nisi processus psychicus (vel si triplex ille processus, ut potest sine dubio sustineri, ratione tantum distinguantur, processus illemet *quatenus psychicus*) in quo tandem formaliter stat sensatio.

10. d') Posset forte etiam a quibusdam dici impressionem organicam, quae nondum est sensatio, *inconscie* animam subire et sponte coniungi in su-

perficiem similem superficie organicae; qua coniunctione facta, anima *conscie* reagit supra illam, h. e. sentit.

11. b) Diximus etiam posse defendi el. dif. vere sentiri, non tamen a potentia visiva *praecise qua tali*; h. e. sentitur, verum alio sensu. Etenim nullibi reperietur (?) homo solam et nudam potentiam visivam habens, seu qui careat sensu musculari saltem in ipso oculo, ut *accommodabili, mobili*, etc. In hac ergo sententia vere *extensio sentitur*, h. e. immediate ab extrinseco datur, non autem per oculum *UT VIDENTEM*. Attamen hic modus concipiendi debet explicare *cur* detur haec *intima, constans, spontanea, universalis* associatio inter sensationes (et consequenter, imagines) *specie distinctas* (vel, ut moderni loquuntur, modalitate differentes). Prout vero haec associatio asseratur iam vigere in prima visione vel non, habebitur empirismus vel nativismus; empirismus si teneatur hanc associationem paulatim obtineri; nativismus si dicatur iam prima vice qua recens natus oculis ad videndum est usus, exstitisse.

12. a') Elementum diffusivum iuxta alios, stat formaliter in sensatione cinaesthesia seu oculo-motrixi quae in *omni* visione habetur (convergentia, accommodatio, etc.). Quae cum in prima visione iam detur, iam ab initio habetur associatio inter *quale visivum* et *quale musculare* (quod est extensio). Nativistæ.

13. b') Iuxta aliam forte possibilem theoriā (notetur nos heic nihil dicere utrum haec de facto fuerint defensa an non), ex parte animae non est nisi *status quidam peculiaris dynamicus RESULTANS* ex tendentiis motricibus (accommodatiis) partim solum excitatis, partim coordinatis et coniunctis ita ut dent *resultantem quamdam tendentiam totalem*. Quod ex parte physiologica non videtur esse nisi *correspondentia, relatio* inter puncta retinica excitata lumine et apparatus oculo-motorem. Nativista vel empirista sententia, prout haec relatio adquiratur vel innata sit. Sed si *resultans* status, est *quid tertium*, videtur esse imago adquisita, et tunc habetur perceptionismus.

14. *Perceptionismus rigidus*. — Haec sententia generalis defendi potest multifariam, valdeque diverse. Eius essentia stat in hoc quod: ad perceptionem nequit intrare ab extrinseco influxu actuali formalitas elementi diffusivi.

15. a) *Nativistæ*: qui ad *omnem praesentationem* (vel sensorialem influxum perceptum) mundi externi sensum visus percellentis, asserant *adesse* quidem el. dif., non autem ullo modo *actu* provenire ab extrinseco influxu.

16. a') vel quia tenent extensionem non esse nisi *formam pure a priori*, ab experientia remotissimam, consistentem in ipsissimo modo *repraesentandi sibi* quale visivum, vel tendendi in genere ad exteriora. Sicut enim homo (etiam in qualibet hypothesisi) qui oculos haberet augmentativos (una

espècie de microscopi o telescopi ingènit) certissime res non secundum suam realem extensionem perciperet, sed secundum suum modum repraesentandi, ita de facto forte accidit.

17. b') vel quia habetur extensio ut *imago superaddita* quali visivo illudque quasi involvens et informans reddensque aptum perceptioni. Sed

18. a") aut haec *imago superaddita* dicitur esse *INNATA* et *innata* associatione ad perceptionem qualis visivi coniuncta (non autem *praeadquisita*).

19. a'') quae imago vel est *generis cuiusdam* visivi; h. e. quasi relicta fuisset a sensationibus visivis in sententia eorum, qui hanc relictionem pro-pugnant. (Haec primo adspectu paradoxalis opinio non est improbabilis seu impossibilis in homine qui ex una parte videret esse impossibilem associationem tam intimam et constantem sensationum et *imaginum* specie distantium, et ex alia putaret ab extrinseco mundo non posse nos modificari nisi per qualitates puras et nidas ab extensione).

20. b'') vel est *coenaesthesia*, aliasve sensus; ita ut diffusio vere non sit visuale elementum, sed merus casus particularis *coenaesthesiae* substratae vel praesentis in omni sensatione vel potius perceptione sensibili. Praeadquista non est, sed *praeexsistens* imago.

21. b') aut dicitur esse *praeadquisita* sensu tactili sub aliqua ex eius varietatibus, v. g. coenaesthesia, cinaesthesia (cf. VAISSIERE, n. 19). Etenim puer antequam maternum gremium deserat, habet iam sensum istum. Similiter animantia cetera, ut patet.

22. b) *Empiristae*: qui doceant elementum diffusivum in primis iam sensationibus non adesse (visualibus et aliis) sed paulatim multa experientiarum repetitione adquiri. Verum hi iterum dividuntur. Nam

23. aa) iuxta alios id quod adquiritur, est imago visualis datis ipsius-met visionis constructa;

a') Constructa *hauriendo* imaginem *iuxtapositionis* ex memoria seu ex successione repraesentationum in conscientia, quae sit *revertibilis*. H. e. contiguitas in spatio hauritur ex contiguitate in tempore seu successione, quam unice anima simplex sentire potest.

24. b') *Transformando* intensitatem certi gradus qualitatis in *extensitatem* (venia verbo). Anima ab extrinseco solum accipit stimulationem supra quam utpote simplex, simplici actu (inextenso) reagit; ac proinde sua reactione statim extensionem (magnitudinem spatiale) capere nequit, sed tantum \rightarrow quale plus minus intensem (dynamin) et ex intensione per quandam artem suam specialem, effert imaginem diffusivam. Immo *intensitatem concipiimus* seu *imaginamur* ad modum *extensionis potentialis* (BERGSON, "Essai sur les données immédiates de la conscience" p. 3).

25. c') *Interpretando* data visiva. Prima repraesentatio mundi exter- ni per quale visivum, est pro anima formula quaedam, vel problema, quod

paulatim intelligit; at simul ac cognovit symbolum, sponte naturae in qualibet praesentatione visiva mundi applicat illam solutionem. Cum enim extensio nequeat rem simplicem attingere, dicendum est extensionem ad animam pervenire sub formula aliqua interpretanda. Sed vel hic modus interpretandi formulam est omnibus idem vel non. Si primum, habemus formam *subjectivam insitam et dependentem ab ipsa essentia sentientis*. Si secundum, tunc habemus speciem quandam Pragmatismi. Etenim tunc extensio est figuratum uniuscuiusque pro suis tendentiis elaboratum (BERGSON: ib. fere).

26. bb) Aliis videtur esse imago alterius sensus datis constructa, proinde non proprie visualis. a') Sensatio omnis (ergo etiam visiva) solum dat *tò quale* (specificans unamquamque); sed imago extensi adquiritur facilius sensu *tactili*. Igitur quando visio dat *suum quale*, *tactilis* memoria ei substruit imaginem seu representationem spatialem (quondam tactum esse *illud* a se, et cognitum fuisse ut limitatum; vel *aliud simile* tactum fuisse, unde a pari nunc). Similiter experientia videtur confirmari. Etenim nullus est puer qui visione obiecti (mere qualitativa lucis, coloris) sit contentus, sed palpare et delimitare conatur.

27. b') *Transformando* (raciocini inconscient, si es vol) *conatum* musculariem ad movendum oculum sequendo motus puncti qualis. Aliquid simile his quae diximus n. 24. HELMHOLTZ.

28. c') Alii dicent forte negari non posse *tò diffusum* visionis esse *quid speciale*; cum autem non reperiatur inter elementa a sensationibus et per sensationes data, et aliunde omnia haec elementa concurrere videantur et influere in diffusionem, dicendum est, sicut in chimicis combinationibus, ita et in praesenti elementa sensationum (lux et color, resistentia, successio — tempus —, etc.) combinari et producere *quid aliud* ab illis omnibus toto caelo diversum. (WUNDT in suis operibus; RIBOT in opere "La Psychologie allemande" bene et breviter complectitur eius opinionem, p. 241 sqq.).

29. cc) aliis autem videtur id quod adquiritur non esse nisi associatio obtenta ex aliquo capite legum communium associationis. a') Utrumque elementum (*quale-visivum*; *diffusivum*) sensitivum est (saltem originarie; hoc sufficit ut si associatio inter sensations distinctas obtineatur, haec vigeat inter sensationem et imaginem vel inter imagines); et eorum associatio fit hoc pacto: Quotiescumque oculus *quale* sentit, *exercentur musculi*. Ergo iam datur sufficiens nexus pro associatione, nempe *simultas temporis* in perceptio-ne utriusque. Iam anima impressiones relictas collocat in centris cerebralibus; (cave intelligas materiali modo; collocat sc. ipso facto sentiendi, materiae cerebralis vibrationibus concomitantibus ipsam sensationem ex parte corporis; tamen verum est quod generatim AA. qui hanc opinionem tenent non multum curare de hac distinctione et cautela); forte initio impressiones visivae et musculares reponuntur in centris dissitis (ita explicabitur titubatio quae

per multum tempus in infante durat in his quae pertinent ad spatium). Sed haec dissociatio *materialis* tollitur pro anima 1) vel quia non percipitur, sed potius attenditur associatio *simultaneitatis* in tempore; nam nuspam videt oculus non motus, seu immobilis, (sive haec immobilitas proveniat ab hoc quod careat nervis oculo-motoribus, sive quia per possibile vel impossibile non utitur illis); 2) vel quia etiam inducitur quaedam materialis communicatio horum centrorum, inducta praecise ex hac harmonica associatione in tempore.

Haec opinio aliquatenus fulciri videtur in hoc facto, quod auribus, non videtur nobis dari extensio sonitus; ubi ceteroquin experientia vulgaris ostendit homines aures non movere (forte animalia auribus possunt percipere; nam v. gr. cuniculos videmus aures in directionem sonitus porrigitur, etc.). Quando vero aliqui intentant earum motum et obtinent, associatio iam est difficillima tum quia hic motus vix fit voluntarius, sed requirit magnam attentionem; tum quia centra impressionum cerebralia nimis iam sunt fixa et stabilita, ut communicatio tam sero ineatur.

30. b') Associatio haec obtineri etiam dici posset *medio aliquo psychico*. Simultas temporanea excitat in animo *conatum* (un esforç psíquic) qui est quasi vinculum utriusque elementi. Diverso enim modo sine dubio *dynamin*, seu *statum dynamicum* excitat in animo simultas sensationum quam earum distantia in tempore.

31. *Sententia moderata*. Sic eam apello et non vel sensationisticam vel perceptionisticam, quia utriusque participat. Iuxta hanc omnes supradictae sententiae exaggerant particulam quam possident veritatis. Itaque veritas quae semper medium viam tenet, nobis est nunc diligenter investiganda; non *realitatem* nostris praeiudiciis conformando, sed potius e converso, accommodando et adaequando conceptiones nostras *realitati*; quae munifica est suorum amatorum remuneratrix.

Igitur breviter. In primis admittendum est in minimis saltem particulis imaginis impressae verum continuum *actu* datum ab extrinseco; h. e. putamus τὸ continuum actu apparens partim dari ab extrinseco, illud nempe quod actu cadit supra nervos.

Iam supponendo oculum *immobilem*, *inaccommodabilem*, *pure sc. visivum*, influxus obiectivus excitans *actu* retinam (supposita etiam immobilitate causae obiectivae) daret sensationem rei discontinuae; h. e. cum lacunis et vacuis proportionatis. Hoc putamus omnino esse admittendum.

Sed omnis impressio retinica (sicut et aliorum sensuum) relinquit sui imaginem licet *inconsciam*. Iam hoc posito: impressa illa imago discontinua et retenta, si ponamus vel oculum vel obiectum moveri pauxillum, ditabitur et complebitur nova impressione, licet forte nunquam perveniat ad perfectum continuum, sed ad tale discontinuum in quo vacuola sint minima usque.

Hic vero notetur (ut huius explicationis admiratio tollatur) quod si imago non fuisset aliquo modo *completa*, non haberemus minimum discontinuum sed longe maximum ob projectionem; nisi quis admittat non dari talet projectionem, et similiter nec rectificationem proprie dictam imaginis quae certe in retina depingitur contrario modo ac est a parte rei; quae omnia non omnino improbabilia sunt.

32. N. B. Egimus de divisione sententiarum tuentium aliquid particuliari mentione dignum circa perceptionem elementi diffusi. Haec pars distributionis sententiarum longe facilior fuit et magis expolita; nunc de divisione sententiarum pro elemento profunditatis, in qua ob nimiam segetem librorum de illa tractantium breviores erimus.

B. *De elemento profunditatis*

33. *Difficultas praecipua* cui occurunt in hac quaestionis parte sententiae excogitatae, est haec: Sentimus videndo solum per imaginem impressam; id solum videmus quod depingitur in retinica imagine. Atqui haec imago est plana. Ergo. Propter hanc difficultatem reapse gravem et summe obviam, AA. qui communius nativitiae appellantur, cum viderent suam heic valde periclitari sententiam, multo accuratius suas expoliverunt opiniones. Nunc fere omnes dereliquerunt istam positionem, et potius ad empirismum inclinant.

Inde fit summe difficile auctorum sententias in hac parte distribuere. Augetur etiam difficultas ex hoc quod qui huic quaestioni post Berkeley incubuerunt (qui non pauci sunt, licet meritis dispare) praecipue attenderint ad hanc partem; forte quia difficultates contra opiniones diu receptas multo patentiores sunt.

Distributio quae generatim in libris reperitur nobis non placet, quia non desumitur vel ex ipsa natura elementi profundi vel ex modo nostro percipienti prout materia suadere videtur. Proinde nos secundum ea quae diximus n. 13 et sqq. primae partis; sc. iuxta elementa concurrentia ad perceptionem totalem, sententias dividemus, uti iam in alia parte fecimus.

34. *Generalissima divisio.* Primi sunto illi qui elementum profunditatis sive sagittalis directionis *actu* volunt dari ab extrinseco influxu, TOTUM: h. e. *sentiri*. Alteri, qui id ipsum negent, sc. qui affirment esse elementum pure imaginativum; h. e. *actu pure percipi, non sentiri*. Hos perceptionistas, illos sensationistas vocabimus.

35. *Sensationismus.* Haec theoria vix iam ullum patronum habet, nec habere potest ut nobis videtur. Dividi possent in duo agmina: cum enim sen-

sationismus in genere solum asserat sentiri elementum sagittale, haec sensatio potest tribui vel ipsi visioni vel sensui musculari, etc.

a) Oculus sentit pure videndo elementum profundum seu sagittale. Haec est prior. Ut autem eam intelligas, scias quod in hac sententia oculus privatus omni vi *accommodativa nihilominus mundum externum sentiret* (*videndo*) cum tertia dimensione; homo sc. carens omni alio sensu praeter visum, sentiret profundum. Quod etiam potest defendi variis modis.

36. a') Oculus videt rem prout est. Sed res habet tres dimensiones. Ergo eas videt. Haec est in fundo multorum scholasticorum sententia sive solutio in hac quaestione; si tale nomen meretur tam ridicula ipsius facti explicandi mera repetitio. Aliiquid omnino simile huic ratiocinio adhibet Stumpf (cfr. RIBOT: I. c., p. 127), ne solos credas scholasticos tali simplismi vitio laborasse.

37. b') Hoc ipsum posset aliquis tenere — permotus difficultate supra memorata n. 33, initio — dando aliqualem facti explicationem; tribuendo sc. ipsi retinae vel potius facultati sentiendi, facultatem proiciendi extra se obiectum sensatum (*sibi per sensationem impositum*).

38. c') Vel etiam tribuendo punctis retinicis, prout sibi respondeant, speciale quoddam complementum, in quo consistat tertiae dimensionis sensatio (cfr. v. gr. HERING apud RIBOT, p. 125). Sed haec potius iam fundatur, saltem ut in condicione sine qua non, in binocularitate (convergentia, accommodatio, etc.).

39. b) Profunditas utique ab extrinseco actu provenit h. e. sentitur; atamen non est sensatio visiva, sed ipsa sensatio muscularis vel (ut quidam loquuntur, quamvis reiciantur nunc fere ab omnibus physiologis et psychologis) sensatio innervationis, pro convergentia, accommodatione, etc. Est praeinde elementum discretum a qualitate visiva ut tali et in quantum sentitur; ad perceptionem vero utrumque elementum associatur (sensitivum utrumque, ut patet).

40. c) Explicatur per duplarem imaginem retinicam. Sicut enim in stereoscopio habemus illusionem tertiae dimensionis praecise ex *imitatione incidentiae* duarum imaginum eiusdem obiecti, quae non sint identicae quoad omnia elementa representationis, ut ordinarie fit in oculo; ita ope binocularitatis contingit de facto *sentire* nos elementum sagittale. Haec explicatio multo minus quam praecedens, admitti potest; quia ut infra dicetur, *uno* oculo tertia dimensio percipitur; equidem nunc seu in homine iam plene evoluto, imperfectius, sed educari omnino potest et haberi praecisione maxima unico oculo.

41. *Perceptionismus.* — Essentia huius modi explicandi et concipiendi stat in hoc quod: τὸ profundum in *actuali* visione sit elementum pure perceptivum cum actuali dato sensationis associatum. Dividi utique possunt eodem fere modo quo divisimus (14 sqq.) perceptionistas quoad elementum diffu-

sivum. Indicabo breviter distributionem explicando tantummodo latius sententiam fundatiorem.

42. *Nativistae*: qui teneant el. prof. percipi per

- a) *ipsissimum modum tendendi* (16).
- b) *imaginem superadditam* (17).
- a') *innatam* (19, 20).
- aa) *visivam* (19).
- bb) *alius sensus* (20).

43. b) *praeadquisitam*, seu adquisitam antequam oculis uteremur. Cum enim tam homo quam animalia antequam nascantur, habeant iam sensationes cinaesthesicas, coenaesthesicas; potuissent adquirere *habitum* proiciendi extra se seu non attribuendi τῷ Ego quasdam affectiones, quae ipsis videntur imponi. Haec sententia habet etiam pro se experientiam pulli gallinacei, vituli post nativitatem statim suggestis ubera, etc., ut videtur.

44. *Empirismus*. Iuxta hos paulatim adquiritur elementum sagittale, sc. experienciis diu repetitis. Heic similiter ac fecimus n. 22 et sqq. possunt dividi empiristae in a) eos qui dicant elementum profundi esse imaginem visualem (*opticos* 23, 24, 25); b) eos qui velint elementum istud esse proprie alius sensus (*anopticos* 26, 27, 28); c) eos quibus collocanda videatur adquisitio in *associatione* (29, 30) hi itaque possunt esse nativistae (quoad ipsum elementum quod proprie repraesentat profundum), et sensationistae. His itaque omissis quia aliquatenus iam sunt descripti quando actum est de elemento diffusivo, veniamus ad sententiam quodammodo moderatam.

45. *Moderati*. — Perceptio distantiae habetur mediantibus aliis omnibus sensibus. Tactilis memoria associat cum *tali modo* convergendi oculorum et sese accommodandi, *talem figuram profundi et tantam*. Muscularis memoria adiungit ad *talem modum* apprendi obiecti, *talem motum necessarium*. Data sc. aliorum sensuum associata ad determinatum modum apprendi obiecti, efficiunt perceptionem distantiae, sive sponte sive interveniente anima.

46. Haec quae hucusque diximus in decursu discussionis melius singula declarabuntur. Sententia hodie maxime vigens est Lotziana, quoad assertiōnē *signorum localium*, quae supra exposita manet (n. 25), licet variationes hac in parte sint innumerae. Sed hae divergentiae quoad modum explicandi melius reservabuntur pro distributione historica sententiarum.

III

QUAESTIONIS RESOLUTIO

1. Quoniam in his, quae hucusque dicta sunt, non modo quaestionis sensum et terminos diligenter definivimus sententiasque vel historicas vel quae, saltem in ideologiis modernorum, non impossiles visae sunt, logice distinximus, verum etiam spinosam de methodo fundamentalemque causam paucis perstrinximus, nihil iam est, ut nobis quidem videtur, vel omnino et necessario praevium vel speciali saltem quadam ratione utile quod non sufficienter praeoccupatum iure merito censeri queat. Ad ea igitur prima et praecipua huius lucubrationis capita accedimus, quae in generali introductione (I, 16) proposita sunt.

Quod si in divisione sententiarum primum quae circa extensionem, postea quae circa profundum erant explanabamus, contrarium in exponentibus tuerisque sententiis quae fundatores nobis videntur, oportunius iudicatum est eo praecise quod, cum difficultiora longe sint et obscuriora quae visionem superficie attinent, tutius ex disputatione circa profundum ad illorum intelligentiam pervenire possint lectores.

De elemento sagittali seu profundo

2. Ut ergo statim in medias res penetremus, ex difficultate illa dudum indicata (II, 33) innuitur sponte vel immo probatur TERTIAM DIMENSIONEM, ELEMENTUM SC. SAGITTALE SEU PROFUNDUM NON SENTIRI SED PERCIPPI IN VISIONE (I, 13 sqq.). Certum quippe est quod in visionem ordinariam duplex concurrit imago eiusdem obiecti aliquatenus diversa; una in visionem monocularem. Quo posito, plana est facilisque argumentatio. Sensatio enim visiva, *ut sensatio est*, non potest mihi videnti plus dare quam id quod supra retinam depingitur. Cum ergo in retina nullo prorsus modo depingatur aut depingi possit tertia dimensio vel quidpiam aliud quod saltem eam implicite contineat, relinquitur tertiam dimensionem a sensatione visiva, *ut tali*, nec dari posse.

3. Duplex utique est diversaque imago retinica; ast in ordinariam tantum visionem concurrit. Nulla proinde difficultas ex hoc capite obici potest. Nam, praeterquamquod de fusione seu unificatione utriusque imaginis non constat inter psychologos, absurde proponeretur ut explicatio universalis aut quoquomodo necessaria visionis profundi ratio quaelibet quae solum valere

possit pro binocularitate, ut est duplicitas et diversitas imaginis retinicae; nec enim est condicio sufficiens nendum necessaria ad profundi visionem; adest quippe duplex diversaque imago, nec tamen videtur profundum; non adest, habetur tamen huiusmodi visio.

Certe diversitas utriusque imaginis *iuvat*, immo *iuvit* ad promptiorem et perfectiorem visionem profundi; nihilo tamen minus, habent homines de facto visionem tertiae dimensionis etiamsi oculo uno potiantur non solum in praesentia verum a nativitate.

Unde colligitur physiologicas de visione per stereoscopium investigationes utilissimas revera esse, immo et necessarias ad penitiorem notitiam mechanismi in ordinaria visione quantum ad hoc particulare sed non exclusivum *adiumentum*; verum stulte quis contendenter stereoscopiam h. e. visionem tertiae dimensionis obtineri simpliciter per diversitatem duplicitis imaginis.

4. Audio equidem qui dicat allatam argumentationem perpetuo supponere tertiam dimensionem non posse dari a retinica imagine nisi sub sua formalitate; sc. quasi data mundi externi materialiter considerata deberent correspondere realitati extrasubiectivae. At vero hoc falsissimum esse ex tota philosophia convincitur. Similitudo enim inter data mundi externi in sensatione et ipsum mundum est pure intentionalis h. e. quasi instrumenti elevati ad representationem, non autem materialis et puncti ad punctum, ut sic dicam.

Sunto haec praeclare dicta; suntu philosophice verissima. Quid ad nostrum argumentum faciant, *ίττω Ζεῦς*. Num contendimus imaginem ipsissimam physice retinae impressam intentionalem esse similitudinem absque addito? Ab hac quaestione prorsus praescindimus. Illud alte statutum volumus unice: hominem *solum* videre quod depingitur supra retinam et nihil amplius; ita ut si per possibile vel impossibile imago aliqua retinae imprimeretur, cui nihil reale responderet, illud unice nos videremus quod retina continebat depictum. Atqui rursus impossibile est depingi tertiam dimensionem supra retinam.



5. Quid vero? Infirmaretur argumentum si quis assereret depingi in retina aliquid quod saltem implicit tertiam dimensionem? Nullo modo. Sunt enim in imagine multa quae *realiter ideo* sunt *quia* procedunt a rebus tertiam ita vel ita dimensionem habentibus; ergo haec omnia realiter et materialiter implicant illam. Praecise haec est causa cur hanc determinatam imaginem in his adjunctis sponte naturae interpretemur hoc vel alio pacto; videlicet ex perpetua praecedenti experientia novimus associare imaginem hanc, prout retinae appingitur, tali distantiae seu tertiae dimensioni sub qualibet ex modalitatibus alibi indicatis (I, 18, 19).

6. Sed conclusio nostra probatur luculentissime tum ex casibus illusio-
nis tum etiam ex iis qui liberati sunt a caecitate qua laborabant ab ipsis nata-
libus.

Argumentum ex casibus illusoriis fundatur in analysi internae experien-

tiae. Etenim conscientia nihil diversum testatur in casibus illusionis atque in ordinariis, maxime quando illusio non animadvertisit; processus videlicet internus in neutro casu secundum conscientiae testimonium differt. Ergo non inepte asseritur etiam identitas elementorum concurrentium ad visionem tam ordinariam quam illusoriam. Porro facile ostenditur in casibus illusionis *non sentiri* profundum sed phantasticē associari, h. e. *pure percipi*. Id quo clarius pateat, breviter statuam per gradus.

7. Igitur primo: *tertia dimensio videtur non semel, cum realiter extra subiectum sentiens non existat*, ut probant satis superque innumera vitae cotidianae facta, quae sibi lector ipsi in memoriam absque ullo negotio revocabit. En tamen heic figurā duas quae statim ob oculos sententiae veritatem ponant.



Figura, quae prior est, dupli saltem diverso modo tertiae dimensionis perceptionem suggerit; diverso, inquam, immo et contrario: quae sc. eminent in alia visione, distant in alia; videntur nempe vel sex vel septem parva quadrata volumina. Altera figura saltem sex diversis modis apparere potest; scala recta, inversa; superficies replicata (com un biombo) nunc his nunc illis aristis distantibus atque adeo vel iacens vel recta (tirat per terra o bé dret). Exempla afferunt multa libri psychologiam tractantes. Habes praecipua in ESPASA, a. *Ilusión*.

Atqui clarum omnino est his in illusionibus elementum sagittale, quod videtur, nullo modo exsistere vel exsistere posse, cum tam cito et contrario modo praesentetur.

8. Constat ergo tertiam dimensionem, ubi illusionem subimus, nullatenus percipi ex eo quod realiter exsistat saltem eo modo quo appetit. Quid ergo? Nihilne est inter data actualis cuiusque sensationis visivae quod explicet

visionem profundi? Etenim, quamvis a parte rei seu independenter a nostra interventione non exsistat elementum profunditatis, aliquid tamen est et aliquid est id quo percepto, tertiam dimensionem percipimus. Unde, licet perceptio elementi profundi saltem in casibus illusionis explicari nequeat per eius existentiam extrasubiectivam, forte posset per aliquid reale distinctum quidem, sed *habitualiter* cum illa *conerum* in perceptionibus; immo non modo per aliquid habit. conexum sed quod *semper* et *necessario* adest quando realitas tertiae dimensionis adest, etiamsi possit adesse *etiam SINE* realitate tertiae dimensionis, ex eo sc. quod connexionis necessitas se teneat ex parte tertiae dim. seu, aliis verbis, ex eo quod tertia dim. percipi non possit sine certis quibusdam elementis sensibilibus, haec autem elementa exsistere et percipi possint quin percipiatur vel exsistat tertia dim. seu elementum profunditatis.

10. Porro tenendum videtur quod *elementa actu sensata*, quae scilicet dantur ab extrinseco in hac mathematice ut ita dicam imagine retinica, *explicare non possunt perceptionem profundi in casibus illusionis*. Et probatur etiam experientiis maxime obviis. Omnia enim elementa quae, saltem ex parte tertiae dim., cum ea conectuntur quaeque certe sentiuntur quoties percipitur tert. dim. (sive haec realiter exsistat sive secus) *possunt percipi* quin percipiatur tertia dim. Iam vero si qua esset necessaria conexio mutua (saltem condicionis sine qua non) vel si impossibile foret alterum sine altero percipi, quotiescumque perciperetur tertia dim., deberent et illa elementa sentiri (et hoc verissimum est) et rursus quotiescumque elementa illa perciperentur, deberet et tert. percipi dimensio. At vero id non obtinet, etsi libenter concedamus quod, si quis reproducit omnes condiciones ordinariae visionis quando sc. percipimus existentem tertiam dimensionem, *fere semper* hoc solo oculus applicatus iam tertiam dimensionem videret. *Fere semper*, inquam; quia falsum est quod *semper*, reproductis condicionibus ordinariae visionis, habeamus perceptionem elementi profundi seu tertiae dimensionis.

11. Et primo quidem, si verum esset quod reproductis fidelissime condicionibus visionis ordinariae, seu imitatis et reproductis duabus in retina imaginibus identicis ac illae sunt quae depinguntur in casibus visionis ordinariae, *semper* et *necessario* perciperetur profundum; si hoc, inquam *semper* et *necessario* deberet accidere, sequitur quod in visionibus ordinariis deberemus *semper* et *necessario* illud percipere. Hoc est omnino evidens. Numquid condiciones ordinariae visionis melius exsistunt ac proinde influere possunt quam in ipsa visione ordinaria? Atqui falsum est quod in visionibus ordinariis *semper* et *necessario* habeamus perceptionem profundi. Sane id statim eruitur ex attenta observatione eorum quae vernaculo sermone dicuntur *relleus*, et potius ex iis quae sunt excavata et inserviunt v. gr. ad nummos excudendos vel aliquid simile. Iam haec si quis attente inspiciat, sensim sine sensu transit a perceptione eorum prout sunt a parte rei (excavata) ad perceptionem diver-

sam (sc. quasi eminentem). Huc etiam faciunt continui errores in aestimanda tertia dimensione sub eius diversis modis.

Deinde hoc ipsum probant experimenta superius adducta. In illis enim condiciones omnes visionis non obiective modificantur et nihilominus perceptio profundi vel adest cum nullo modo exsistat a parte rei, vel non adest cum tamen exsistat a parte rei, vel contrariis modis percipitur cum tamen condiciones eadem prorsus sint.

12. Dices nihilominus fortasse falsum esse quod, quando in eadem obiectiva figura percipimus contrarias dimensiones vel dimensionem non existentem vel nullam dimensionem cum tamen exsistat, condiciones eadem sint. Nam, esto, condiciones ex parte obiecti non variantur; variantur tamen certissime condiciones subiecti ipsius sentientis, sc. oculi saltem. Variatur enim directio maculae flaveae, accommodatio iridis immo et oculi totius, innervatio, etc., etc. Quae cum ita sint, ut revera sunt, iam inde explicatur cur tertia dim. in iisdem obiecti at in diversissimis subiecti condicionibus nunc percipiatur nunc non percipiatur.

Optime quidem. Nendum ruat, firmatur potius inde argumentatio nostra. Ergo scilicet, etiam si famosissimi psychologi, sapientissimi physici, pictores peritissimi omnes simul totam suam scientiam psychologicam et physicam tamque suam peritiam pictoricam adhiberent ad reproducendas omnes quam fidelissime condiciones reales visionis ordinariae ac, proinde, suppositis in mea retina duabus imaginibus talibus quales esse debent ad hoc ut habeatur visio ordinaria, nihilo tamen minus, nisi ego ex meo fundo id addam quod praecise requiritur ut condiciones etiam subiectivae sint eadem atque in visione ordinaria, tertiam dimensionem non percipiám. Ergo, iterum iterumque, nullum ex elementis actu sensatis seu actu provenientibus ab extrinseco affert secum semper et necessario elementum profunditatis. Unde sequitur nullum ex iis elementis explicare perceptionem profundi, saltem in casibus illusionis, quod erat proprie demonstrandum.

13. Verumtamen his, quae dicta sunt, non moventur Stuart Mill, Spencer, Bain, Wundt,... ii nempe omnes, quibus ratum sacrumque est tertiam dimensionem imaginem esse paulatim adquisitam per muscularem sensum et ad actualem unamquamque sensationem visivam associatam; quam porro associationem fundant in simultaneitate sensationum (Cfr. II, 44). Profecto supponunt empiristae condiciones obiectivas mutari, nec solum subiectivas, idque ex nostra ipsa concessione sibi demonstrasse videntur. Nam, aiunt, si verum est, uti conceditis, quod perceptio tertiae dimensionis pendet ex illo elemento oculari quod ex me pono si sc. volo (intelligas quando adquisitum iam est dominium supra oculum, quia dum hoc dominium non habeatur, variationes illae in percipienda profunditate multum pendent ex motibus fere involuntariis ut sunt generatim motus oculares), quoniam elementum istud tandem non-

nisi obiectivum est respectu sensus muscularis seu cinaesthesici, quamvis ab ipso oculo imperceptibile; si, inquam, totum hoc admittitur, sequitur elementum sagittale non modo percipi cum colore, sed et sentiri ab alio sensu sc. musculari.

Fundamentum hoc est, uti diximus, empiristarum omnium, acute et profunde investigatum, luculenter expositum praesertim a Stuart Mill, inter positivistas acutissimo et acerrimo. Inde aedificia exsurgunt empiristica, plurimis nec ineptis observationibus et experientiis atque rhetoriceis etiam clamoribus constructa. Ergo coruent aedificia, magnae illae dissertationes vanae erunt, diruto fundamento?

14. Atqui, lector benevolentissime, admittimus fundamentum! Quid enim? Esto, variationes seu modificationes iliae sunt obiectum sensus muscularis. Ergo se solis explicant perceptionem tertiae dimensionis? Quasi vero quidquam commune habeat variatio energiae nerveae, accommodatio iridis, maculae flaveae, etc., vel aliquam proportionem cum tertia dimensione. Unde problema devolvitur a sensu visus ad muscularum, in quo eadem recurrit obiectio, ut constat, atque in visu. Non negamus sensations cinaesthesicas diversas esse in singulis casibus; sed hoc quod diversae sunt est quidem *adiumentum* optimum ad promptiorem et perfectiorem profundi visionem. Tactus utique videtur sensus aptior ad imaginem procurandam; verum, nostro iudicio, neque se solo tertiam daret dimensionem. Proprie enim non dat plus quam resistantiam in diversis cutis humanae punctis. Certe ubi topographia, ut ita dicam, corporis possidetur (et haec possessio adquiritur simul cum aliis notitiis tactus et aliorum sensum), sufficit generatim contactus in punctis non eiusdem cum aliis superficieci cutaneae vel repentina cessatio contactus eorundem punctorum ut colligamus volumen. Sed non de se sufficit; quia absolute, *solo hoc testimonio*, non constat utrum puncta (= extremitates nerveae) contactus sint eiusdem an diversae superficieci. Unde si quis per impossibile omni alio sensu praeter tactum careret, is profecto tertiam dimensionem non perciperet. Quod enim incipiat contactus vel desinat, ut summum permitterent in homine hypothesis tertiae dimensionis (seu rerum a se distinctarum sc. et distantium) h. e. praerherent fundamentum projectioni vagae et transcendentali (I, 12) distinctioni nempe τοῦ Ego a τῷ non-Ego.

15. Sed experientia quoque clarissime ostendit tertiam dimensionem neque a sensu musculari *solo* dari posse nec proinde ex eo *solo* adquiri posse eius imaginem. Tertia sc. dimensio percepta in visione non modo imago non est pure visualis sed nec pure muscularis. Id probant casus caecorum a nativitate quibus postea videndi facultas restituta est. Celebres sunt ille qui a medico Cheselden sanatus est (2) et ille qui a Franz (3).

(2) Lege sis apud nostrum BALMES, *Filos. Fund.*, lib. 2, c. XIII.

(3) Habes in STUART MILL, *La Philos. de Hamilton*, trad. E. CAZELLES, p. 280, nota 2.

Iam, his positis, sic arguimus: Caeci isti, semel adquisita potestate vivendi, negari non potest quod oculos conabantur accommodare (etsi involuntaria aut saltem non speciali attentione), mutabant oculorum positionem, etc., mittebant sc. per musculos energiam nerveam sufficientem ad visionem claram et determinatam; tertiam nihilo minus non percipiebant videndo. Ergo elementum tertiae dimensionis, quod demonstravimus non necessario percipi quando reproducuntur: condiciones visionis ordinariae ex parte obiecti, similiiter nec necessario habetur quando reproducuntur eadem etiam subiectivae condiciones. Ergo praesentia elementi sagittalis in perceptione visiva explicari non potest praecise ex ipsis oculi modificationibus h. e. ex meris sensationibus cinaesthesiais seu muscularibus.

16. *Argumentum* porro *ex visione restituta caecis a nativitate*, uti diximus (6), evidenter probat etiam conclusionem generalem et praecipuum initio (2) propositam, elementum sc. sagittale nullatenus sentiri sed pure percipi saltem in visione. Immo nec ab alio quovis sensu, ut nobis quidem videtur. Admittimus sane non solum in imagine retinica (5) sed etiam in obiecto proprio fere omnium sensationum, multa quae *DE FACTO* pendent a realitate extra-subiectiva tertiae dimensionis seu quae *DE FACTO ideo* sunt sensata *quia* datur hic et nunc a parte rei talis vel talis tertia dimensio. Iam haec quae, si nude spectentur, ex solo eo sensu, in quo dantur, tertiam dimensionem nullo modo afferrent, ex hoc tamen quod generatim sentiuntur coniunctim cum datis aliorum sensuum circa idem obiectum reale atque ex hoc vel maxime quod motus a nobis alias effecti in casibus similibus conformes evaserant realitati (=utilis), nunc sponte concludimus *pragmatistice* tertiam dimensionem.

17. Haec igitur est sententia nostra de natura tertiae dimensionis perceptae: **TERTIA DIMENSIO PERCIPITUR QUATENUS EX MULTIPLICI EXPERIENCIA PRAGMATISTICA ADQUISITUS EST HABITUS INFERENDI SPONTE ILLAM.** etiamsi nunc non habeantur tot elementa quot de facto adiuverunt ad perfectiorem et promptiorem acquisitionem eiusmodi inferentiae.

Et res patet vel sola expositione, posteaquam abunde probatum est tertiam dimensionem non sentiri. Experientia haec pragmatistica intelligenda est de paulatina accommodatione rostrarum actionum externarum ad realitatem eiusque rectum usum. Elementa non sensata actuali visione quaeque associantur sponte nosque cogunt ad hanc vel illam nunc iam rapidissimam, saltem imaginatam, accommodationem motuum v. gr., plurima sunt; perceptio sc. tertiae dim. non est simplex sed summe complexa. Haec spontanea actualis associatio recte vocatur *inferentia perceptiva*. *Inferentia* quia similis valde est inferentiae logicae; *perceptiva* quia constituitur elementis actu non sensatis, nunquam solis sensatis a visu, praecipue vero imaginatione vel potius aestimatione pragmatica motuum sive actionum possibilium.

19. Si ergo inferentia haec perceptiva lenti admodum et diuturnis

pragmaticis experientiis adquiritur; si necessario pendet a condicionibus extrasubiectivis tum in acquisitione tum etiam in actuali usu; si exercitium tandem totius nostrae activitatis externae corrigitur a realitate obiectiva sub poena impossibilitatis recti et innocui usus; si, inquam, haec ita sunt, inepte profecto et absurde fingitur praeeexistere in nobis forma spatialis ante omnem sensationem mundi externi: forma sc. a priori mereque subiectiva. Vides ut sibi praecludant viam omnem obtainendae veritatis externae, ii qui post Kant praescindere volunt ab activitate mundi seu τοῦ non-Ego? (I, 6). Perceptio utique actualis visiva plurima continet elementa non actu sensata, quae proinde vocari possunt forma; forma certe, at nequaquam a priori sed a posteriori, per experientiam videlicet adquisita et nunc etiam dependens ab actualis sensationis condicionibus.

20. Contra assertiones vindicatas vix ulla afferuntur quae seriam ingerant dubitationem. Mitto quae multis ponderat W. James⁽⁴⁾ de voluminositate data ab omni sensatione quae nullo negotio solvuntur ex dictis, quin etiam extra chorū canunt. Mitto insuper illa quae a nativistis obiciebantur quondam de impossibilitate non sentiendi tertiam dim. si superficies sentitur, quia sentiri debent et lineae divergentes; non enim admittitur sensatio huius divergentiae.

Ad illa venio etiam hodie obiecta contra omnem empirismum. Portenduntur quippe pulli gallinacei qui, ovo egressi, statim in cibum properant granaque sumunt; vituli materna statim sugentes ubera;... animalia videlicet omnia fere obici possent, immediate enim post primam lucem ea agunt quae supponere videntur tertiam dimensionem. Triumphant hic nativistae! Pulchras, si eos leges, descriptiones minutissimasque invenies. Nec desunt empiristae qui hisce moveantur obiectionibus solutionemque vix dari posse fateantur.

Verum audi, quaeso, et ne longe petere solutionem videamur, quid prohibet quominus animal illud, odore tactum, os diducat per superficiem immediatam et, non reperiens ullum obstaculum, os proiciat ante se in alias superficies donec obstaculum offendat? Species enim motus licet imperfectioris iam habet ubi maternum deserit gremium, siquidem in eo atque etiam in ovo non omnino destitui videntur animalia usu muscularis sensus et cinaesthesici et coenaesthesiae.

De elemento diffusivo seu extensivo

21. Soluta iam pro modulo nostro quaestione de elemento sagittali seu profundo, quoad ea saltem summa capita ex quibus multa alia minoris momenti facile deciduntur, ad eam partem devenimus quae elemento superficiali

(4) *Précis de psychologie*, c. XXI, vers 1.^{re} gallicae pp. 443 sqq. et 460.

continetur. Profecto ea est huius elementi in perceptione natura ut vel leviter consideranti ingens statim discriminem interesse videatur inter solutionem primae partis et eam quae huic alteri deferenda est. Nihilo tamen minus res difficultate non vacat, cum explicanda etiam sit continuitas superficie perceptae ex imagine oculari certe discontinua (II. 7 sq.). Quapropter, uti in priori praestitimus, ita etiam in hac parte certiora primum, minus certa deinde et obscuriora proponemus.

22. Iam id praecipue et sancte retinendum est: DIFFUSIONEM, QUA COLORES VIDENTUR, TAM IMMEDIATE DARI A SENSATIONE VISIVA ACTUALI QUAM COLOR IPSE. Etenim tam possibilis est sensatio immediata coloris quam extensis, ut suadet constructio ipsa oculi *ut visivi*; in retina, enim, efficitur imago extensa, materialis, mundi externi, eique correspondens quoad relationes projectas in superficie. Ergo homo possidet media ad sentiendam videndo extensionem; quae porro media in organo summopere teleologico haberi nequeunt ut inutilia et sine fine. Iam apud adversarios ut quid tota haec constructio? Sufficeret enim punctualis (=inextensa) actio mundi externi seu punctualis ingressus qualitatum. Confer, amabo, constructionem oculorum cum reliquis organis sentiendi: cum auditu, cum olfactu, cum gustu (unum excipe tactum), qui quidem sensus extensionem non dant respectivae qualitatis sensibilis, nec proinde indigent speciali organi externi dispositione ad extensionem sentiendam.

23. Eadem, ut patet, ratio quae contra sensationem profundi fortissime militat, favet sensationi diffusionis. Pseudoexplicationes utique plurimae afferuntur; pseudoexplications, inquam; nulla, enim, theoria perceptionismi rigidi (II, 14 sqq.) potuit hucusque (nec unquam poterit, si quid valent cum ratio physiologica tum argumenta post afferenda) intelligibilem modum proponere quo perceptio extensi (superficiei, diffusionis) ex elementis inextensis comparari possit, nisi supponendo id ipsum quod quaerebatur (v. gr. perceptionem motuum qua talium); aut falsa argumentationis transitione ab ordine essendi ad ordinem sentiendi (v. gr. extensio constituitur per vim resistivam; sed oculus non potest resistentiam sentire); vel confundendo abstractionem et praecisionem hominis adulti cum sensatione diffusi coloris sed non tam accurate discreti (v. gr. STUART MILL, l. c., pps. 278-279); vel reducendo tandem ad perceptionem *successionis* (v. gr. HERBART, vide RIBOT, *Psychol. allém.*, pp. 6 sqq., praesertim 20-21) *revertibilis* (=temporis spatialis; cfr. BERGSON *Essai*, p. 75; cfr. item quam valida argumentatione id ostendat Hamilton apud STUART MILL, l. c., p. 265; cuius responsiones, nobis deinde examinandae, certe nullius sunt roboris, nedum definitivae, quidquid blateret Stuart ipse Mill et, post illum, RIBOT, l. c., p. 137).

24. Invictum argumentum pro sensatione visiva extensionis iam ab initio, subindicavit d'Alembert, urgentissime promovit Hamilton (5). Sic bre-

(5) STUART MILL, l. c., p. 277 sq.

viter proponi potest: colores sentiuntur pure videndo; colores distincti sentiuntur pure videndo; colores plures unica visione sentiuntur; colores limitati sentiuntur linea visibili; ergo extensio in unam et in duas dimensiones, unica et pura visione sentitur. Quattuor propositiones eo ipso quo iacent ordine recta fluunt; consequens nihil est aliud quam assertorum recapitulatio.

25. Directe respondere nequit Stuart Mill⁽⁶⁾, immo cogiturn admittere quam ipse vocat rudimentariam *conceptionem* extensionis⁽⁷⁾. Sed arguit inter eam et hanc quam nunc habemus extensionis perceptionem, talern interesse tantamque diversitatem ut iure merito negandum sit vel in aliquo convenire. Homo utique adultus iam discernit colores extensos, sed quia sensu musculari, oculis inherente, adquisivit talem discretionem cum adiutorio tactus.

Vides, ergo, lector benevolentissime, dominum Stuart Mill revera thesin nostram omnium concedere et litem vel de verbis solummodo instituere vel de disparata prorsus quaestione. Quid enim? Sentit, inquit, videndo, colores extra positos; ergo modo quodam quem non possumus aptius declarare quam nomine "extensionis", quamvis modus iste primae et purae visionis (si possibilis est) toto distet caelo a modo actualium visionum. Haec si dicas, quid aliud praestes nisi rem ipsam concedere invitus, ideoque obscurare velle et emollire concessionem ut occultes ignaris propriae opinionis falsitatem tibi compertam? Porro fucum facere contortisque decertare vocibus, id quidem rhetoribus forte atque poëtis licet; philosopho non licet.

26. Verissimum quidem est "ideam" hominis grandaevi et exculti immensum differre ab "idea" infantuli aut caeci primo videntium. Sed latet sub hac veritate funestissimus anguis apud totam scholam associationisticam: ex mera sc. consociatione elementorum per varios sensus sensatorum exsurgere in homine eas quae dicuntur ideae; quae proinde, iuxta ipsos, non sunt nisi associationes ditiores et ditiores. Atqui sine dubio elementa concurrentia et associata in perceptionem visivam multo plura sunt in adulto quam in infantulo. Atqui rursus qui meditamur, qui philosophamur, qui scribimus, qui argumentamur homines sumus, non infantuli. Ergo "idea" nostra extensionis vix quidquam commune habet cum illa quam forte habet puerulus aut caecus primo videns.

O nos miseros qui "ideas" a sensationibus et sensationum exquisitissimis combinationibus distinguimus! Quid ad haec respondeamus? Non hic libet sistema associationistarum minutatim persequi; nec tempus suppetit, nec quaestionis nostrae indoles pateretur. Satis sit haec breviter subnotare quae sequuntur.

27. Proculdubio "idea" hominis differt ab "idea" primo videntis. — Immo "idea" hominis exculti ab "idea" inculti; atque adeo excultioris ab

(6) *Ib.*, p. 278.

(7) *Ib.*, p. 279.

exculti, philosophi ab architecti,... *hominis ab hominis!* Porro ecquis audeat exinde asserere unam prae alia *veram* "ideam" esse extensionis? Certe si sponte naturae, si post seriam quoque et maturam inquisitionem, omnes omnino homines, etiam associationistae, nullum aptius nomen his omnibus "ideis" imponere possunt (8) nonne id probat has omnes "ideas" correspondere uni eidemque realitati quae cum maiori vel minori comprehensione concipitur? Esto, "ideae" diversissimae et in singulis quibusque hominibus et in unoquoque homine per aetates sunt. Inde certe effertur nullam unquam hominis "ideam" exhaustire integrum realitatem; nullo autem modo probatur has omnes "ideas" non habere aliquid quod correspondeat praecise extensioni et non conveniat aliis formalitatibus; multoque minus probatur id quod in unaquaque "idea" correspondet extensioni, non procedere aliquo modo etiam a sensatione visiva ut tali.

28. At vero nihil est quod ita de "ideis" disputemus totque verba faciamus. Saltēm haec valeant etiam in suppositione ipsius scholae associationistiae, ex qua, ut vides, inepte arguerent. Porro quod "ideae" nihil aliud sint quam associationes elementorum sensatorum perfectiores et pliores, id cum tota philosophia perenni constantissimi negamus; nisi litem rursus moevas de voce et praecise has associationes revera existentes vocare velis hoc nomine, omittas autem agere de aliis operationibus cognoscitivis superioribus quae certissime sunt in homine. Perperam tamen nomen ab antiquo his superioribus cognitionibus inditum ad inferiores operationes trahis. Etenim sensata elementa ingeniose versa, coniunge, accommoda; dum sola haec elementa habes, perceptiones mere sensibiles habes, "ideas" vere et proprio nomine tales non habes.

Iam iterum: si, extensionis perceptionem innegabilem explicare intendens in visione, admittis existere ab initio in pura scilicet sensatione visiva aliquid irreducibile ad notiones alias ab extensione, quid aliud nisi thesin nativistam concedis?

29. Perficitur utique prima illa et rudimentaria extensionis sensatio; sc. evolvitur in perceptionem, manet tamen quoad elementum sensatum plus minus ita rudis et indigesta sensatio prima quam ultima. Nempe, quamvis non negemus sensationes etiam melius haberi in dies, sed tamen correctio et perfectio non tam est in sensatione quam in perceptione; ita ut si per impossibile vel possibile oculus exsisteret immobilis prorsus, omni alio sensu destitutus quam visivo, eodem ferme pacto coloratas sentiret superficies post diuturnam ac ante ullam experientiam visivam.

Ergo disparatas omnino quaestiones perperam confundit Stuart Mill. Sane iterum *perceptio visualis* extensi per vitam perficitur in immensum ex

(8) STUART MILL, I. c., p. 293, a.

datis omnium sensuum, praesentim cinaesthesiae saltem quoad continuitatem, uti videbimus. Porro ex eo quod elementa forte plura tum extensionis tum praesertim continuui dentur a cinaesthesia quam a sensatione visiva, nullatenus inferre licet puram nudamque sensationem visualem non dare statim elementa talia quae soli extensioni aptentur.

30. Conatur certe Stuart Mill cum Bain attentionem lectorum a visu potius ad tactum detorquere quia in hoc vividius proponi possunt difficultates contra sensationem extensionis indeque veniunt ad similem explicationem pro visione. Quamvis autem directe thesin hanc nostram non impugnant, operae tamen pretium duximus eorum argumentationem exponere et refutare quo clarius sententia sensus communis effulgeat.

Ecce tibi formidandum Bain argumentum: Flexio vel contractio membra alicuius seu potius muscularum diversa est et diversa sentitur, ita ut tali a tantae modificationi musculari talis ac tanta respondeat sensatio. Si pondus elevas manu, maiorem vel minorem senties conatum muscularum prout sit terminus elevationis. Unde sensatio spatialis nihil est aliud quam sensatio eiusdem conatus continua, etenim valde congruum videtur ut actio per plus vel minus temporis continuata diversimode nos afficiat. Hoc si admittatur veluti factum innegabile observationis et naturaliter consequens discriminacionem conatus proprii, ipso facto conceditur sententia nostra, sc. quod perceptionem spatii cuiuslibet etiam superficialis habemus ex sensu musculari praecipue, perficimus ex aliis diversis concomitantibus sensibus. Sane non contendimus omni positioni membrorum correspondere perceptibilem immutacionem cerebri; sufficit enim quod positionibus initiali et finali talis correspondeat iam immutatio quae percipi possit, quocumque modo percurrentur positiones intermediae: sufficit videlicet ut percipiatur quantitas totalis energiae nerveae impensae intra tempus pro eodem conatu musculari. Haec nempe discriminativa sensatio correspondet energiae impensae non pro singulis positionibus et instantibus sed pro tanta vel tanta duratione (=tempore). Atqui correspondentia haec est elementum sensibile, ex quo haberi possit perceptio spatii. Atqui iterum in nullo alio sensu praeter muscularum quidquam reperiatur tam aptum huic perceptioni gignendae (9).

Ita breviter, ut nobis videtur, proponi potest substantia tota ac vis argumenti Bain.

31. Defectus huius argumentationis eminentiores optime collegit Mahaffy quattuor capitibus, quae tamen dissolvere studet Stuart Mill et, qua praestat modestia, penitus se dissolvisse gloriatur. Iure id contendat an iniuria, lector viderit (10).

Imprimis notandum est Bain semper loqui utendo verbis omnino refe-

(9) STUART MILL, I. c., p. 261 sqq.

(10) *Ib.*, I. c., "Note au chapitre précédent", sc. XIII, p. 290 sqq.

rentibus, saltem in fundo, elementum diffusivum; non adhibet puras et nudas notiones ex quibus vult ostendere derivari perceptionem diffusionis (11). Sic loquitur de *curva* confecta motu membra, etc. At vero, quicunque explicare velit modo bainiano perceptionem diffusionis, curare debet ne supponat id ipsum quod ei incumbit probare. Aliud esset si admitteret elementum extensivum seu diffusivum irreductibile esse.

Stulte haec contendis — respondet Stuart Mill —. Necessa enim est ut disputaturi de aliqua quaestione adhibeamus verba nonnulla in eodem sensu, etiamsi opiniones longe diversas habeamus; secus non possemus inter nos convenire de subiecto disputationis in ipso exordio controversiae. Necessa item est ut per illa verba non introducatur subrepticie in solutionem id ipsum quod est in quaestione. Unde in praesenti materia conandum est ut locutiones adhibitae extensionem quoquomodo non imbibant; aut saltem debet curare expositor eliminare et praescindere ab extensione quam illa verba important.

Ergo quid? Optime tu quidem; optime ponderas difficultatem, immo impossibilitatem utendi verbis non imbibentibus extensionem. Optime etiam ponderas conatum Bain adhibendi cautiones has omnes; successum porro non demonstras.

32. Praeterea aliud est vitium in tota explicatione bainiana, quod sc. supponit *directionem* ut elementum irreductibile. Atqui directio imbibit spatium. Ergo tandem solum oretenus spatium non postulare videtur, revera postulat. Implicite videlicet id ipsum facit quod nos: statuere tamquam elementum irreductibile, spatium.

Concedit Stuart Mill directionem supponi a Bain. Ast, iuxta ipsum, spatium supponit directionem multiplicem, non directio spatium. — Sed haec evasio nihil est. Concipias, si potes, directionem quin eo ipso concipias spatium. Directio sine spatio nec existere nec concepi potest. Ubicumque exsistat directio, ubicumque detur perceptio directionis, ibi datur perceptio spatii, ibi existit spatium. Contrarium nunquam demonstrabit ullus. Scimus praeterea ex metaphysica cosmologica extensionem dari non posse ex solis elementis inextensis saltem immotis.

33. Merito etiam urget Mahaffy quod postulare sensationem discriminativam rapiditatis et lentitudinis, h. e. motus rapidioris aut lentioris, est postulare simpliciter sensationem motus sc. temporis et spatii. Dicere quod ex pura successione impressionum in tempore possumus pervenire ad notionem motus, idem est ac dicere quod cognoscendo solummodo unum terminum (quin suspicari possimus existere alium praeterea terminum requisitum) possumus mente alium terminum omnino diversum effingere, quocum ille alias nullam conexionem habet; et quidem exprimendo illum alium terminum eodem con-

(11) Id clarius in ipsa *oratione* potius quam argumentatione, domini Bain.

ceptu magis evoluto. Motum successionis quo reprezentamus nunc nobis impressiones mundi externi et cogitationes nobis internas, non concipimus ita forte nisi per analogiam cum motu spatiali.

Contra hanc profundam adnotationem admodum argute insurgit Stuart Mill, et rotunde inficiatur quod Bain postulet spatium dum postulat quod homo iam statim distinguat motum rapidiorem a lento. Praeterea, ait, non postulatur a Bain differentiatio motuum ut talium sed differentiatio intensitatis conatus muscularis impensis in diversos motus.

Sed re quidem vera, ecquis audeat negare eum, qui percipit motum rapidiorem, percipere motum? successionem nempe et directionem, h. e. tempus et spatium? Etenim non nisi successio (=tempus) et directio (implicans spatium) percipitur sensibiliter ex elementis motum manifestantibus, si quidem motus ipse ut quid distinctum ab his duobus nequaquam sensibus obicitur. Distinguere inter differentiationem motus (seu temporis-spatii) et intensitatis conatus muscularis, nihil facit ad rem: tum quia supponis elementum extensivum posse evolvi ex intensivo tum quia mere retrotrahis alio difficultatem, immo et multo urgentiorem facis; etenim quaero: quomodo scit ille qui sensationem muscularis conatus habet quod haec talis ac tanta energia seu conatus impensus correspondet tantae et tali extensioni?

Quod si ad experientiam provokes quae paulatim se ipsam corrigit, nihil valet huiusmodi provocatio. Non negamus experientiam se ipsam corrigerem (intellige experientiam eam quae *debet* esse secundum diversitatem eorum de quorum experimentatione agitur); sed tantum in his quae iam ipsa *dat* non in his quae ab ipsa non pendent. Sic sensatio conatus muscularis fiet sane in dies maiori praecisione et perfectione, sicut et aliae sensations. At longe aliud est quod per sensationem muscularis fiat perfectior et subtilior differentiatio conatum muscularium *ut correspondentium* tali ac tantae extensioni. Etenim talis differentiatio et associatio supponit praecognitum utrumque terminum differentiationis et associationis; quod nequeunt admittere adversarii, salva eorum theoria. Et generatim notandum bene est quod ubi datur associatio praesupponitur uterque terminus associandus iam praecognitus (in cognitione enim seu mediante ea associantur); et insuper quod associatio nequit addere aliud tertium supra elementa associanda sed mere unit et associat elementa sensata. Unde elementa sensata et associanda quantumvis combinentur et misceantur et componantur nunquam dabunt quid tertium revera (aliquo novo producto superaddito) distinctum ab ingredientibus. Contrarium perpetuo supponunt adversarii quibusdam freti exemplis quae tamen certissime per puras et nudas associationis leges non explicantur; elementum enim novum quod ibi appareat, quando exempla humana afferuntur, debetur intellectui.

34. Pergit porro Mahaffy: id quod necessario assumimus ut mensuram spatii, nequit utique assumi ut elementum inadquisitum (inquantum est

mensura). Bair ita sumit, confundens mensuram ut talem cum mensurato, spatium cum tempore.

Peregrina respondet Stuart Mill. Concedit videlicet totum sed provocat ad alias futuras et magis praecisas observationes caecorum a nativitate. Quoties igitur inter explicandas notiones aliquas Scyllam vel Charybdis offendit ambigamus, provocabimus statim ad futuras sine dubio accuriores de subiecto illo experientias. Negandum revera non est quod obiectio mahaffyana, si proponatur ab eo qui teneat theoriam associationismi, vim non habet ullam. Non item apud nos qui haec opponimus contra Bain, sed asserimus nihilominus ideam mensurae non pertinere ad ordinem purae sensationis sed ad superiorem, sc. intellectualem; unde vere adquiritur, h. e. elementum novum est et posterius ad sensationes per quas datur elementum monstrandum.

35. Stat ergo conclusio superius (22) posita nec evincunt quidquam subtilitates adversae. Longe etiam a quaestione aberrant qui obiciunt realem constitutionem extensionis (resistentiam, expenetrationem...), ut patet ex dictis.

36. Quod si quis moveatur contra thesin ex hoc quod identificemus colores et extensionem quantum ad sensationem, cum iuxta multorum philosophorum sententiam colores sint mere subiectivi seu existant in sentiente ut tali, animadvertis oportet etiam his philosophis admittendam esse saltem extrasubiectivam realitatem stimulorum. Atqui demonstrationes nostrae saltem evincunt stimulus plures esse et iuxtapositos, influxum sc. visualem non simplicem esse sed extensem. Qui vero teneant sensationem simplicem esse h. e. non-extensam, viderint ipsi quomodo extensionem in stimulo seu causa extra-subiectiva tueri possint. Sane si sensatio etiam integraliter simplex est, cur non etiam a stimulo simplici producatur? Criterium pragmatisticum adhibere non licet, nisi renuntiare omnino velis obiectivitati spatii; siquidem de omni alia sensatione a fortiori redibit difficultas et vis adversariorum. Quod si nobis obicias quod in priore parte pragmatismum admisisimus, animadvertis oportet id nos fecisse unice pro *recta consociatione* sensatarum aliunde adquisitarum; non autem pro *transformatione* sensatarum qualitatum.

37. Superest enodanda difficultas eaque gravissima circa continuum in extensione sensata (II, 7 sqq.); cui pro modulo nostro respondemus: DIFFUSIONEM, QUA COLORES VIDENTUR, TOTAM QUIDEM AB EXTRINSECO PER SENSATIONES VISIVAS DARI, NON AUTEM TOTAM AB ACTUALI SENSATIONE; ERGO PARTIM SENTIRI, PARTIM PERCIPICI IN VISIONE TOTALI. Verum haec non ut certa et explorata, sed ut explicatio probabilior saltem quam quae hodie circumferuntur, utpote sibi forte et toti doctrinae tenendae conformior.

Ampleximur, ut vides, opinionem moderatam sensationistas inter et perceptionistas (II, 31). Putamus enim elementum diffusivum penitus visuale esse, seu datum esse a sensationibus visivis ut talibus, nec posse explicari per alias sensations nisi tamquam per condiciones perficientes. Consequenter ex-

tensio datur, sicut ab aliis, ita etiam ab hac mathematice retinica imagine, sed partialiter: diffusio nempe partim est imago sed visualis, sc. colorata.

38. Quod diffusio, qua colores videntur, tota ab extrinseco per sensationes visivas danda sit, evictum est in conclusione longe iam lateque propugnata, ut facile est videre. Quod non tota ab actuali sensatione, nullo negotio ostenditur si quaestions terminos rite intelligamus. Sciendum enim est oculos, dum obiectum aliquod intuentur, irrequietos prorsus esse circumcirca, licet immobiles nobis videantur. Unde necessario tenendum est plurimas in fundo retinae, etiam minimo tempore, depingi eiusdem obiecti levissime differentes imagines. Atqui singulae imagines discontinuae sunt; si enim vere anima *solum* sentit *prout* materiam nerveam informat et *solum* id quod, *media imagine*, tangit nervos, vere non sentit actu seu per eamdem mathematice imaginem id quod non continetur in ea, quod nempe non depingitur supra retinicos nervos. Iam certum est fundum retinae continere fibrillas nerveas inter se seicutas et in se discontinuas. Nec omittere licet punctum caecum, cui certe lacuna in *imagine* correspondet. Porro etsi imaginum lacunae parum forte in ipso fundo retinae occupant, nihilominus ex projectione multo maiores apparere deberent in sensatione pure visiva.

39. Reliquum est ut imagines illae plurimae idem obiectum referentes sese mutuo compleant, adiunctis praeterea aliis imaginibus non nunc sensitatis si placet. Imagines illae omnes sensatae seu sensationes respondentes singulis impressionibus retinicas discontinuis, subconscie habentur quidem, sed unica totali perceptione tandem aliquando iunguntur et fiunt conscientiae (cfr. de inconscientia et subconscious VAISSIÈRE, n. 86 et notam traductoris). Haec est videlicet obvia et simplicissima explicatio nostra.

40. Quae profecto firmatur ex insufficientiailiarum solutionum (II, 7 sqq.). Non sufficit prima (II, 7), etsi admitti posset, si imago retinalis non esset medium quo. In hoc enim casu vere haec numero fibrilla solum sentit id quod supra se, per imaginem seu imaginis partem depictum est. Unde neganda est paritas cum exemplo de fenestris; ex quo quidem recte firmaretur solutio, si panorama depingeretur supra omnes illas fenestras, et supra unamquamque fenestram partem solum panoramatis depingeremus, etsi nihilominus homo ibi praesens per illam fenestram videret totum.

41. Nec satisfacit altera solutio (II, 8), quia etiamsi transmittatur in ipsis obiectis non dari perfectum continuum, si explicatio exclusive sumitur, omnino non dat rationem cur continuum apprens (h. e. saltem *prout* datur a visione actuali) vix ostendat vacua realia et quidem magna quae, stante huiusmodi explicatione, deberent adesse in singulis visionibus. Diximus "si exclusive sumitur"; quia secundum eam oculus immobilis deberet videre obiecta externa eadem qua nunc continuitate; quod quidem impossibile omnino est. Certe continuitas propria visionum nostrarum est, ut ita dicam, multo magis

continua quam esse posset si unice perciperemus quod hic et nunc, mathematico instanti, supra retinam nostram depingitur. Etenim discretio nervorum inter se et innegabilis projectio imaginis retinalis exigunt ut discontinuitas, quae in fundo retinae imperceptibilis est, magna appareat ex projectione. At vero contradicit apertissime experientia.

Sed praeterea opinio huiusmodi inducit harmoniam quandam singularem et inexplicabilem (et certe inexplicatam) inter modum discontinuitatis proprium obiectorum extra nos positionum et media nostra sentiendi. Immo cur non notemus hic, hucusque non esse probatam vel a potentissimis microscopis discontinuitatem *qualem* supponunt adversarii?

42. Reicienda pariter est tertia solutio (II, 9); concedimus enim continuitatem explicandam esse non praecise (multoque minus unice) per processum physico-chemicum aut physiologicum, sed adiuncto saltem (et praecipue) processu psychico, qui associet data priora, ac proinde supponat alios processus tum physico-chemicos, tum physiologicos, tum actuales, tum praeteritos. Id quidem sequitur omnino ex probatione subiuncta; at vero nihil aliud, ut argumentum expendenti patebit.

43. Tandem displicet etiam quarta solutio (II, 10), si differat a nostra; si sc. admittat *inconscientiam*, quam perfracte negamus cum sana philosophia. Praeterea non intelligitur *spontanea* haec et *recta* coniunctio in superficiem ante reactionem animae, sine eius interventu scilicet, nisi harmonia quaedam praestabilita supponatur. Sed insuper latet sub hac solutione hypothesis "signorum localium" a Lotze inventa (II, 25) et a non paucis psychologis indubitanter admissa⁽¹²⁾; quae tamen experimentis plenissime confutata est⁽¹³⁾.

44. Iam, lector amice, contra explicationem nostram ne te moveant umbrae quaedam et obscuritates sane leviores quam ut eam penitus infirment. Porro velis capere qui fieri possit ut compleant actualem imaginem data visiva praecedentium sensationum. — Ast primo quidem nescio an ultima potius a praecedentibus quam prima a subsequentibus compleatur: utrumque idem pro re praesenti est. Deinde cur mirum in hac explicatione quod in aliis multis • quaestionibus assumitur, et recte quidem; immo in tota theoria associationistica? Nemo sc. unus est inter associationistas (ut omnes debemus esse intra certos limites) qui non continuo disserat de iunctione horum elementorum cum illis, harum sensationem cum illis, harum imaginum cum illis imaginibus et sensationibus.

45. Sed est hic, inquires, specialis quaedam ratio difficultatis movendae; siquidem data, quae associari dicuntur in actualem perceptionem, nec sunt al-

(12) Immo iuxta Ribot haec, quam dicit theoriam, non disceptari potest inter nativistas et empiristas. Cfr. opus eius cit. p. 137.

(13) GRÜNDER: *Curso de introducción*, trad. PALMÉS, p. 157 sqq.

terius sensus (quod tenent associationistae) nec, licet sint eiusdem sensus, associari possunt hoc modo. Nam vel elementum associandum dicitur esse *imago* relictia ab immediate praecedentibus *imaginibus* *retinicis* vel *imago* *praehabita*. Hoc ultimum nequit dici, ne statuatur harmonia quaedam aprioristica inter *imagines* *praeadquisitas* et *sensationem* *praesentem*, nisi forte admitteretur intuitio quaedam spatialis in qua collocaretur omnis sensitiva *imago* superveniens; quorum utrumque gratuitum nec satisfacit. Si vero asseritur primum, tum sic: certum est aliquam esse morulam inter photochimicam *retinae* *immutationem* (*impressionem* seu *imaginem* *retinicam*) et eiusdem *sensationem*, quam morulam *psychophysi* mensurare tentarunt; certum pariter esse debet ex hoc praecise facto, morulam aliquam et distinctionem sicut inter immutaciones organicas, ita et inter earum *sensationes* admittendam esse. Quibus positis, non appareat quomodo possint associari elementa diversarum *imaginum* eiusdem realitatis, cum morulae istae interpositae impediant quominus simul animam subeant *impressions* sentiendae.

Haec difficultas, quae multis posset ponderari et agitari metaphysicis argumentis (?), procedit a priori et ex affectata factorum ignoratione. Exemplum habes luculentissimum et antiquis insuscipibile in cinematographo, qui plurimarum *impressionum* coniunctione dat perceptionem *rei* continuae ut est motus. Quod si dixeris morulas illas, quas supponimus (nequaquam! sed erui-mus ex *rei* *natura*), esse contra apertissimum conscientiae testimonium, vide sis quam explicationem de cinematographo eandemque tibi de extensionis visione dabimus. Sane conscientia nihil testatur de multiplicitate *imaginum* rea-liter concurrentium in cinematographo, sed neque testatur contra multiplici-tatem.

46. Ut finem tandem aliquando huic dissertationi imponamus, iterum notemus inferri ex dictis absurditatem formarum a priori pro sensibilitate, spatii sc. ac temporis. Si enim forma esset a priori spatium saltem duarum dimensionum, qui fieri posset ut nobis imponeretur ab extrinsecis *stimulis* quibus aptetur sensus? Atqui videmus perceptionem extensionis omnino pendere ab accommodatione oculorum ad reale obiectum. Argumentum videlicet fit sicut in solutione primae partis.

Porro haec sunt quae per summa capita, pluribus secundariis quaestioni-bus omissis, partim ut certa, partim ut nobis saltem probabiliora circa visionem extensionis et distantiae, dicenda visa sunt. Ut autem sententias sine ira promimus, ita etiam quae obiciantur libentissimi audiemus.

JOHANNES A. SEGARRA, S. I.

BIBLIOGRAFIA

1. LA VAISSIÈRE-PALMÉS: *Psicología experimental*², Barcelona, 1924.
2. RIBOT, TH.: *La psychologie allemande contemporaine*³, París, 1909.
3. TURRÓ, R.: *Filosofía crítica*, Barcelona, 1918, vers. hisp. MIRÓ, Madrid, 1919.
4. WUNDT, W.: *Psychologie physiologique*, vers. gall., BONVIER, París, 1886.
5. JAMES, W.: *Précis de psychologie*⁴, vers. gall. BAUDIN-BERTIER, Rivière, París, 1910.
6. ID.: *Principios de psicología*, vers. hisp. BARNÉS, Madrid, 1909.
7. BERGSON: *Essai sur les données immédiates de la conscience*⁵, París, 1914.
8. ID.: *Matière et mémoire*⁶, Alcan, París, 1914.
9. STUART MILL, J.: *La philosophie d'Hamilton*, trad. E. CAZELLES, París, 1869.
10. GRÜNDER, H.: *Curso de introducción teórico-práctico a la psicología experimental*, trad. PALMÉS, Barcelona, 1924.
11. PEILLAUBE, E.: *Revue de philosophie*, t. XXVI, p. 254, sqq.; t. XXVII, página 29 sqq., París, 1919-1920.
12. BALMES, J.: *Filosofía fundamental*, lib. II, edit. Casanovas, t. XVII, Biblioteca Balmes, Barcelona, 1925.
13. IBÉRO, J. M.: *Psicología empírica*, Barcelona, 1916.
14. FRÖBES, J.: *Psychologia speculativa*, t. I, Freiburg i. B., 1927 (Consulebam dum privatis foliis circumferebatur).